F. AMBROSII CATHARINI POLITI EPISCOPI MINORIENSIS.

INTERPRETATIO NONI CAP. SYNODALIS DEcreti de iustificatione.





Cum Cratia & Priuilegio.

VIVO MORTE REFECTA MEA.



Venetiis apud Gabrielem Iolitum de Ferrariis.

M D X L V I I.





AD REVERENDISSIMOS ET *Illustriss. Dominos, & Sacrosancti Concilii Bononiensis Legatos* D. Ioan. *Mariam de Monte Episcopum Praenestinum, & Marcellum Ceruinum praesbiterum* S. R. E. *Card. & ad uniuersam Synodum, humilis ac deuotus seruus* F. *Ambrosius Catharinus* Politus *episcopus Minoriensis* Dei *gratiam & successus prosperos.*



LLVD NVNC *euenisse perspicio, Reuerendissimi & Illustriss. Domini, quod erat facillimum diuinare, uidelicet, plerosq; in* Decre*to iustificationis multò aliter accepturos postremam illam noni cap. particulam, ubi legitur. Cum nullus scire ualeat &c. quàm fuerit mens sanctae Synodi. Sunt enim qui ex his uerbis pronunciatũ esse absolutè existimant, non posse hominem ex lumine fidei certò scire se esse, aut etiam fuisse unquã, gratum* Deo *per donum coeleste charitatis. Vnde hoc quidam facile & cum gaudio, quasi uerum, recipiunt, eò quòd ita sibi etiam anteàuideretur. Quidam uerò maligni id accipiunt ut manifestè falsum, ut hoc saltem habeant, quod obiiciant in* De*cretum: quoniã floccifaciunt S. Synodum.* Nõ*nulli uerò sunt, qui pio affectu autoritatẽ Synodi amplectuntur: ab hoc tamen loco nõnihil scandali incurrunt: quoniã (salua tamen semper ipsius sanctae Synodi autoritate)*

probare non possunt, tum propter ueritatem ipsam, quam ex aduerso stare prorsus inuictam arbitrantur, tum propter S. Patrum, & catholicorum doctorum, qui secus docuerunt, honorem: quorum doctrinam a S. Synodo esse reprobatam nulla exposita ratione, persuadere sibi non ualent, ut miris hinc inde premantur angustiis. Cum uerò ego in eorum sim sententia, & nihilominus Decretū *simul cum cæteris* Patribus *probauerim, cogor propter has turbas, una opera & uerba* Decreti *tueri aduersus malignantes, & ea non pugnare aduersum ueritatem (si doctè ac subtiliter intelligantur) planè ostendere, propter doctos ac pios. Quam rem scriptis explicare & ad uos mittere, opportunum, imò etiam necessarium existimaui,* Tum *ut S. Synodi mens, quam uos etiam abundius nostis, latè cunctis appareat,* Tum *uerò ne piæ mentes hoc solūmodo offendiculo conturbentur, cum de reliquis totius* Decreti *partibus, quas inoffenso pede percurrunt, magnum cœperint animi solatium.* De *re autē ipsa, hoc est, de principali quæstione, si quando tractabitur,* Assertiones *meas offeram sanctæ Synodo, eiusq; censuræ summittam, nihil omninò formidans.* Existimo *enim illam maturè omnia cognituram atq; perpensuram, & ueritatem tandem probaturam.* Ego *autem quid aliud uolo? aut quid potius cupio?* Deus *nouit, quem hac parte neq; uereor iudicem neq; testem.*

F. AMBROSII CATHARINI POLITI EPISCOPI MINORIENSIS.

INTERPRETATIO NONI CAP. SYNODALIS DEcreti de iustificatione.





NTEQVAM declarem uerba Decreti, præmitto primum eam fuisse S. Synodi mẽtem nihil se uelle decidere cõtrouersum inter Catholicos, sed solũmodo aduersus ea quæ uel ueteres, uel noui hæretici dogmatizarũt. Nam præter id quod admonet Bulla sũmi Pontificis, ad hoc esse conuocatum Concilium, uidelicet, ad extirpandas hæreses & erroneas doctrinas, nõ autem ad statuẽda noua dogmata, certe ipsum decreti prooemiũ hoc euidenter declarat, dum contestatur se prouidere contra erroneam de iustificatione doctrinam nostro tempore disseminatam. Non autem

temere, & sine magna disceptatione atq; euidentissimis argumentis & autoritate uel scripturarum uel ecclesiæ, iudicanda erant erronea, quæ inter Catholicos hactenus, & multo ante hæc tempora, salua charitate & pace disputata sunt & pertractata. Addo q & sæpius hoc protestati estis, ambo uos Præsidentes, & specialiter in hac controuersia, tum in cõuentu Patrum, tum uero in cõgregatione Theologorum. Et ambos audiuimus contestantes non uideri sibi quæstionem hãc discussam satis ad decisionem. Imo ipsamet sacrosancta Synodus bis declarauit huius rei definitionem nunc omittendam esse, & in aliud tempus seruandam, sicut in Actis poterit apparere. Deniq; ipsemet titulus noni cap. hoc manifestat abunde qui sic habet. Contra inanem hæreticorum fiduciam. Mitto q & ego, cum sententiam meam exponerem in cõgregatione episcoporum, plane sum contestatus, & clara uoce dixi (nullo mihi cõtradicente) q admittebam illam adiectã particulam in eum sensum qui nõ faceret præiudicium doctrinæ Catholicorum:

quem sensum etiam illam facere confes sus sum,& confiteor,& simul contestor ꝙ si aliter accipitur, defendi Decretum recte non potest.

¶ Vt autem probem quod præloquut⁹ sum,et S.Synodi uera doctrina in eo ma nifestetur, primum affero uerba Decre ti:ait Decretum.

Sicut nemo pius de Dei misericordia,de CHRI STI merito,deq; sacramentorũ uirtute & efficacia dubitare debet,sic quilibet dum seipsum suaq; propriam infirmitatem & indispositionem respicit,de sua gratia formidare & timere potest.

¶ Hactenus nihil est in controuersia apud Catholicos,sed adiectum est.

Cum nullus scire ualeat certitudine fidei, cui nõ potest subesse falsum,se gratiã Dei esse consequutũ.

¶ Hæc sunt uerba quæ in ultima cõclusione nonnullos, nec ab re, conturbant propter ea quæ mox subiiciam.

¶ Aiunt enim primum. Certum est, ꝙ quibus fuit specialiter reuelatum eos eẽ in gratia,certi fuerunt suæ gratiæ,& quidem certi certitudine fidei, & illius fidei cui non potest subesse falsum:Ergo con clusio Decreti falsa, cũ sit cõtradictoria.

¶ Non me latuit quo modo quidam ad

hæc de improuiſo ualeant reſpõdere: di-
cent enim forte. Fatemur ꝙ ſpeciali re-
uelatione poſſunt homines certo ſcire
adeptionem ſuæ gratiæ, at non certitu-
dine fidei. Quaſi uero quicũq; hanc cer
titudinem habẽt ex reuelatione ſpeciali,
non habeant eam ex fide, quod eſt falſiſ-
ſimum. Non enim, niſi ex fide, creditur
reuelationi diuinæ. Vnde & Beatiſſima
Virgo de fide cõmendata eſt ꝙ credidit
Angelo reuelanti ſibi eximiã ſuam gra-
tiam, Et omnes Prophetæ & Apoſtoli,
& quicunq; in uero ſpiritu dicebãt, Cre
didi propter quod loquutus ſum. Qua-
propter uidetur ꝙ iam Decreti cõcluſio
ſtare non poſſit.

¶ Addent ergo fortaſſis, ꝙ ſupplẽda eſt
huic doctrinæ Decreti hæc exceptio, ui-
delicet, ut poſtq̃ dictũ fuit. Cum nullus ſcire
ualeat certitudine fidei &c. ſubintelligendum
ſit, aut addendũ, Præterq̃ illi quibus ſpe
cialiter fuerit reuelatum. Sed hæc ſolu-
tio repugnat menti S. Synodi: quod uel
ex eo ſolum colligi poteſt, ꝙ ſi hæc exce
ptio fuiſſet neceſſaria ad ueritatẽ doctri-
næ, non illam omiſiſſent uiri peritiſſimi,
qui hanc

qui hanc particulam tandē attexuerunt Decreto pridie q̃ publicaretur, præsertim cum in cap. de Prædestinatione fuerit tam diligenter cōsiderata atq; expressa. Nec enim potest uideri nisi consulto omissum tanq̃ non opportunum, quod paulo post alibi fuit tam diligēter expressum, sicut docet Innocentius. c. Inter, de transl. episcopi.

¶ Addo hic ꝙ cum quidam promotores huius particulæ adiungendæ admonuissent, uidelicet, ut hic exciperetur specialis reuelatio, ut suum propriũ sensum stabilirent, nō sunt auditi, quoniam præiudicium fecissent uero sensui ac menti ipsiuꝰ sanctæ Synodi: sicut hæc uos minime latent, Reuerendissimi atq; Illustriss. Domini, qui uestra, ut par erat, circũspectione nō permisistis eam exceptionem adiungi, ne uerus illius particulæ sensus obrueretur. Quod etiam tu melius nosti, Reuerendissime Marcelle, cuius tũc erat huius rei specialis animaduersio cũ Theologis. Quærenda est igitur alia solutio ad argumentum ut sustineatur Decretum, ne sit manifeste falsum.

¶ Argumentãtũr autem & ſecundo loco: quoniã (ut nos ſimul exiſtimamus) etiam citra ſpecialem reuelationem poteſt homo certus fieri ſuæ gratiæ a teſtimonio Spiritus ſancti, de quo ait Apoſtolus ad Rom. c. viii. ꝙ conteſtatur ſpiritui noſtro, uel, cum ſpiritu noſtro, ꝙ filii Dei ſumus. Hoc autem teſtimonium proculdubio fide accipimus. Et cum ſit teſtimonium ſpiritus, ualidũ eſt: & cum ſit ualidum, certum facit credentem qui nouit illud, & ita certum, ut ſit infidelitatis titubare. Teſtimonio enim ſpiritus ſubeſſe falſum non poteſt. Quare cõcluditur ꝙ homo poteſt eſſe certus ſuæ gratiæ, & hoc certitudine fidei, & eius fidei cui non poteſt ſubeſſe falſum.

¶ Tertio additur, quod collectione & argumẽto ex his quæ ſunt certæ fidei, poteſt homo certo ſcire ſe eſſe in gratia, ut patet ex ſacramento baptiſmi. Eo enim poſito & credito quod ait Scriptura, Rite ſuſcipiens baptiſmũ conſequitur gratiam. Et hoc ſane comperto mihi quod rite ſuſceperim baptiſmum, quia nõ poſui obicem, profecto ſequitur ꝙ certus

ſum me eſſe aſſequutum gratiam, idq; a certitudine quæ eſt ex fide, & illa fide, cui falſum ſubeſſe nō poteſt. Alioqui ridiculum eſſet dicere q̄ ſine fide quæ diuinæ reuelationi innititur, poſſit quis uenire in cognitionē ſuæ gratiæ, cum gratia ſit donum Dei excedens humanā notitiam, teſte Apoſtolo. Duriſſimum uero eſt ſic anguſtare uirtutem naturæ noſtræ, ut dicamus neminē ſcire poſſe utrū poſuerit obicē ſacramento baptiſmi.

℄ Quarto adiicio exempla manifeſtiſſima ſcripturarū. Certum eſt enim quod B. Ioānes Bap. & Apoſtoli fuerunt certi ſuæ gratiæ, & hoc non niſi certitudine fidei cui non poterat ſubeſſe falſum. Alioqui qua fronte dixiſſet idem B. Ioannes. Ego uox clamantis in deſerto, & ſe præcurſorē & amicum Sponſi prædicaſſet? Ioan. 1. Ibid. 3. Mitto eius ſanctificationē in utero, quādo incæpit officium præcurſoris, gaudio Luc. 1. illū & tripudio indicans. Quæ res infantis notitiā probat, ut teſtatur D. Ambro. & excellentem ipſius gratiam, cuius ille non fuit ignarus. De Apoſtolis etiā non debet Chriſtianus homo dubitare, cum

pateat in euangelio illos accepisse spiritum cõfirmationis, quo induti sunt uirtute ex alto, iuxta Domini promissioné. Mitto alios multos quibus Dominus reuelauit eorum a peccatis liberationé, ut fuit illa mulier in ciuitate peccatrix. & Seminiflua, & Zachæus cũ tota domo, & pleriq; alii. Et septuaginta discipulis dixit q eorũ nomina essent scripta in cælis.

Luc. 7. Matth. 9. Luc. 19. Ibidé. 10.

¶ Nec dicat mihi hic aliqs q hi habuerunt speciales de hoc reuelationes excedentes communem fidem, ut propterea sit hoc idem argumétum quod primũ. Non enim uerba Christi erant speciales reuelationes, ut crederentur lumine cõmuné fidem excedéte. Sicut enim ex cõmuni fide credebãt fideles illi dicenti q erat filius Dei, & non speciali reuelatione, Ita etiam credebant eadem fide q uera essent uerba sua: nam id cõsequenter accedebat. Si enĩ Dei filius, ergo uerax. Vnde non alia fidei certitudine credidit Magdalena sibi esse remissa peccata, q̃ illius fidei, qua credidit illũ esse Christũ. Nam in ea priori fide hæc posterior fundabatur. Patet igitur q cum hi certi fuis

ſent ſuæ gratiæ,ſequeſtrata ſpeciali reue-
latione,& hoc certitudine fidei cui non
poteſt ſubeſſe falſum,uidetur ruere De-
creti autoritas in hac parte.

¶ Hæc ſunt, & alia multa quæ nõnullos
pios & ueritatis amatores iure optimo
cõturbant,ſicut ego diuinabam. Quare
& de hoc admonui,ut ualui,S.Synodũ.
Quoniam uero etiam uidi poſſe hũc lo
cum defendi ad eius mẽtem, quæ ſtatuit
nihil ſe uelle aduerſus doctrinam catho
licam decernere, ſed ſolummodo cõtra
inanem hæreticorum fiduciam, quæ in-
nititur ſola fide,a qua ſola certitudinem
hanc haberi contendunt,ut patet ex titu
lo eius noni cap.declarabo(cũ Dei gra-
tia)illum ſenſum,iuxta quem hæc parti-
cula abſq; ulla uerborum detorſione,ua
leat ſuſtineri.

¶ Pro cuius rei intelligentia duo ſunt
præmittenda. Primum eſt ꝙ Decretum
in eo ꝙ nominat quãdam fidem cui nõ
poteſt ſubeſſe falſum,cõſequenter aliam
quandam eſſe innuit, cui poteſt ſubeſſe
falſum. Cum uero fides quãdoq; pro ha
bitu accipiatur: ſæpenumero autem pro

actu quo creditur: nónunq̃ & pro obie-
cto, hoc est, pro re quæ creditur, sicut &
spes pro re quæ speratur, ut B. Paulus.
Ad Tit. 2 Expectamus beatam spem. &. Spes quæ
Rom. 8. uidetur, non est spes. Statuendum est ꝙ
hoc in loco manifeste Decretum loqui-
tur de actu fidei cui proprie potest ueri-
tas & falsitas tribui, cũ sit in intellectu, &
de aliquo cõplexo, ut docet S. Doctor.
¶ Secundum quod erat præmittendum
hoc est, quod iudicium de fide, id est, de
actu fidei, utrũ illi possit subesse falsum,
a duabus uiis sumi potest. Vna est ab ipsa
causa ipsius actus, hoc est, ab ipso interno
lumine, unde ille actus fidei gignitur. Si
enim cognosceremus ꝙ ea quæ credi-
mus illuminati, crederemus ab illo lu-
mine fidei, quod Deus infundit nobis,
directe illud lumen agnoscentes, profe
cto certi essemus ꝙ huiusmodi fidei no
potest subesse falsum: quia illud lumen
Dei non in mendacium, sed in ueritа-
tem inclinat. Verum quia difficile est
nosse infusas uirtutes, (illæ enim ex seip-
sis a nobis nosci non possunt, sed opor-
tet ut noscantur per suos actus. Actus ue

ro regulariter, per ipsa obiecta.) ideo ad iudicandum de actu fidei utrum illi possit subesse falsum, alia est uia notior & infallibilis, uidelicet, ab obiectis ipsis. Quia enim obiecta propria fidei, de qua est sermo, sunt reuelata a Deo: Obiectorum autem reuelatorum quædam sunt, de quibus iam constat omnibus ꝙ reuelata sunt, quoniam & omnibus proposita sunt ut credatur, ut ꝙ Deus est trinus & unus, & ꝙ Verbum caro factum est de Virgine, ꝙ crucifixus, ꝙ mortuus, & reliqua quæcunq; iam nota sunt in ecclesia, & fide suscipienda. Actus ergo fidei de his, dicit proprie & merito fides cui non potest subesse falsum. Nam obiecta clara sunt, probata & catholica, sicut B. pater Athanasius usurpauit dicens. Hæc est fides catholica, quam nisi quisq; fideliter firmiterq; crediderit, saluus esse nõ poterit. Ipsa enim fides nõ creditur, sed obiecta creduntur fide. Sed hic mos est etiam scripturarum, ut uocem uirtutum sæpenumero usurpent pro obiectis, ut quũ dicitur apud B. Paulũ. Vnus Deus, una fides, unum baptisma. Dixit unam Eph.4.

fidem, quia eadẽ sunt quasi unum, quæ creduntur ab omnibus. Aut si mauis exponere unam fidem, idest, unam credulitatem, quia per illam unum omnes credimus, ita ꝙ obiecta ipsa eadem, & communia omnibus, unitatem fidei faciant: sicut dicitur apud eundem, unam spem
Eph.1. esse uocationis: quoniam idem est quod sperant omnes. Et spes pro obiectis quæ sperantur, etiam usurpatur, ut iterum
Rom.8. apud eundem, Spes quæ uidetur, non est spes. & alibi. Expectantes beatam spem. Hæc igitur catholica fides, est illa fides q̃ hoc sibi uindicauit, ut dicatur illi nõ posse subesse falsum, iuxta B. Tho. doctrinã. Quod etiam declarauit exemplo dicẽs, esse de pertinẽtibus ad fidem credere ꝙ in hostia rite consecrata sit corpus Christi. Quod añt in hac uel in illa sit corpus Christi, non est de pertinentibus ad fidẽ. Et tñ si ego sacrificauero, & sciero certo me rite sacrificasse & consecrasse, & non credidero in ea certa hostia quã sacrificaui, esse corpus Christi, ero infidelis, ita ut quod simpliciter nõ est de pertinentibus ad fidẽ, quoad me tamẽ perti

neat

neat ad fidem. Et hoc non mirum, quia pertinere tantum ad fidem ea dicuntur, quæ habent obiecta cõmunia omnibus credenda, ita ut si omnes scirent de particulari hostia ꝙ esset rite cõsecrata, omnes tenerentur credere, & pertineret ad fidem credere de illa, sicut pertinuit ad fidem credere de hostia illa quam cõsecrauit Dominus in cæna. Et hæc est, cui dicitur nõ posse subesse falsum, quia habet obiectum iam communiter in ecclesia determinatum. Ad hoc ergo aspiciẽs B. Petrus in secunda sua epistola. quum enarrasset uisionem quã habuit in Monte de gloria vnigeniti, Et habemus, inqt, firmiorem propheticum sermonem: firmiorem dixit, non sibi qui omni certitudine plenus erat & fidei & sensus, sed firmiorem communiter & uniuersaliter, quoniã receptissimæ erant scripturæ ueteres Iudæis, & ita pertinebãt ad fidem: non autem illa similiter quæ erãt in nouis nondum receptis, nec uniuersaliter probatis. 2.Pet.1.

¶ Quamobrem nõ est mirum neq; nouum, quoddam quibusdã pertinere ad

fidem, quibusdam uero non. Pertinebat
Act. 10. enim ad fidē ipsi Petro credere post re-
uelationem sibi factam, ꝗ iam nihil esset
cōmune in Christo. Et similiter B. Pau-
lo cui erat hoc arcanum reuelatū, Vnde
peccassent illi non credentes. Quod de
aliis nō sic erat, q̄q̄ illud de scripturis eli-
ci potuisset, sed non apparebat, non con
stabat. Et ideo non tenebantur alii crede
re, donec illud esset in ecclesia determi-
natum & definitum, quod omnes crede
re tenerentur. Nam sic efficitur fides ca-
tholica, cui non pōt subesse falsum: quia
ipsum obiectum iam manifeste declara-
tum est cunctis.

¶ Ex his ergo præmissis patere potest re
sponsio ad argumenta. Et ad primū qui-
dem quod erat de homine specialem re
uelationem habente de sua gratia. Dico
ꝗ sua huiusmodi fides, non est illa fides
quā uocauimus catholicam, cui non pos
sit subesse falsum: quoniā eius obiectum
ex se tale est, cui potest subesse falsum. Et
homo talis est ex se, ut possit in huiusmo
di reuelationibus decipi, ut putando re-
uelationes illas non esse a Deo, cum ta-

men sint, aut saltē dubitando, & ita non (ut oporteret) assentiendo, sicut accidit Zachariæ patri Ioānis Baptistæ. Aut etiā contra, putando eas quæ sunt a diabolo, esse a Deo: aut etiā dubitando, cum non esset locus dubitationi. Quod si dixeris, Pono ꝙ non decipitur, sed impletur cor hominis certitudine, ut contingebat S. Prophetis, & in primis beatissimæ Virgini. Respondeo, nō propterea fieri absolute ex natura obiecti, & ex modo reuelationis in genere, ꝙ in huiusmodi fide non possit subesse falsum, nisi ex suppositione hac, uidelicet, ꝙ homo certus sit de reuelatione, & ꝙ est a Deo. Tunc enī quod simpliciter non attinet ad fidē, illi tamen attinet ad fidem. De quo non attinuit ad S. Synodum decernere. Satis illi fuit aduersus hæreticos agēs, per hāc doctrinā admonere cunctos, & eos præsertim qui statim ut habent fidem, iactāt se esse certos suæ gratiæ & salutis ex ipsa fide, ut intelligant ꝙ hæc talis fides, cum non sit catholica quæ habeat obiectum iam certum & exploratum, non est secura, sed periculosa: quia hoc eius obiectū Luc. 1.

est expositū deceptioni. Multi enim decipiuntur qui credunt se esse in gratia, cū non sint. Et iccirco circa reuelationes in genere considerádo ꝙ in illis potest esse deceptio, sicut iam dixi, iubemur proba-
1. Ioan. 4. re spiritus an sicut ex Deo. Non enī probatur quod ex se certum fuerit, sicut accidit de articulis qui sunt Catholicæ fidei. Nec est enim ullus particularis homo, q ita possit confidere in semetipso ut dicat de sua gratia. Scio ꝙ non possum in hoc decipi, licet uere possit aliqs dicere, post legitimam tamen explorationem, Scio ꝙ nō decipior. Quare nihil prohibet de eadem fide dici (diuersis tamen respectibus) ꝙ potest ei subesse falsum, & ꝙ non potest ei subesse falsum. Si enim feratur iudicium a lumine interno spiritus testificantis homini ꝙ est filius Dei, profecto qui ex hoc lumine firmat suam credulitatem, non solum non decipitur, sed nec decipi potest. Sinauté feratur iudicium ab obiecto, sicut ferri potius debet a nobis, qui ea quæ sunt interiora non perspicimus, præsertim in altero, dicimus ꝙ huic fidei potest subesse falsum: qa hoc

obiectum, uidelicet, ꝙ ego uel ille habea mus charitatem, non est obiectum clarũ & probatum in sancta ecclesia.

¶ Ex his autem patere potest responsio ad secundum, quod erat de testimonio spiritus sancti, quod fide suscipimus, cui testimonio uere non potest subesse falsum, & consequenter nec fidei quæ innititur illo. Fatemur enim totum hoc, uidelicet, ꝙ testimonio spiritus non potest subesse falsum. Verum in hoc ipso secundum se considerato, uidelicet, ꝙ hic uel ille, habeat uere hoc testimoniũ, potest subesse falsum. Cognoscitur enim hoc interno sensu & experimento, & signis, in quorum tamen discretione potest esse deceptio. Quocirca etiam de tali homine qui non fallitur, utpote habẽte lumen particulare fidei, & credente spiritus testimonio de sua gratia, recte tamẽ dicitur simpliciter ꝙ potest falli, idq; non est dicere ꝙ fallatur, sed ꝙ hoc obiectum quod fide recipit, uidelicet ꝙ est in gratia, tale est ex se, ut posset recipere falsam fidẽ. Et item ꝙ homo ipse ex se non talis est ut nõ ualeat decipi: q̃q̃ si cunctæ

proferantur debitæ circũſtantiæ, quæ re-
mouent omnem deceptionem, & ſup-
ponantur, recte dicetur ꝙ eiuſmodi fidei
ſic circũſtantionatæ (ut ita loquar) mini
me poteſt ſubeſſe falſum, ſed non ſimpli-
citer abſtrahendo ab his conditionibus:
ſicut accidit in obiectis quæ ſunt catho-
licæ fidei, quibus cõtinuo ac ſimpliciter
dicimus ꝙ in eis non poteſt ſubeſſe fal-
ſum. Conſtat enim certe de reuelatione
eorum, & conſequenter de fide qua cre-
duntur, ꝙ non poteſt ei ſubeſſe falſum.
Decretum ergo dicens ꝙ nullus poteſt
certo ſcire certitudine fidei, cui non poſ
ſit ſubeſſe falſum, ſe eſſe gratiam conſe-
quutum, non aliud ſignificare uoluit q̃
quod hoc obiectum particulare de illo
uel illo, ꝙ ſit aſſequutus gratiam, non eſt
obiectum fidei catholicæ, ideſt, fidei uni
uerſaliter cõprobratæ, cui ſimpliciter nõ
poteſt ſubeſſe falſum, ſicut uolunt hære-
tici dicentes, ꝙ omnes fideles tenentur
certo credere ac ſtatuere ſe eſſe adeptos
gratiam, idq; per ſolam fidem, quam &
catholicam eſſe uolunt: & propterea ca
uere debent homines ne fallantur hac

inani fiducia, ne se existiment esse q non sunt, falsa fide.

¶ Quod autem hæc sit uera huius particulæ Decreti intelligētia, superiora uerba satis superq; indicant: legitur enim. Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deq; sacramentorum uirtute & efficacia dubitare debet (hæc enim sunt obiecta fidei Catholicæ certissime reuelata) sic quilibet dum seipsum, propriamq; infirmitatem & indispositionē respicit, de sua gratia formidare & timere potest.

¶ Quo in loco aduerte quàm caute loquitur sancta synodus, Dicit q potest de sua gratia formidare & timere. Non dixit, debet formidare ac timere: quod profecto dixisset, imo dicere debuisset, si absolute uoluisset excludere certitudinem gratiæ, quæ formidinem nō habet. Supponit autem ad hāc formidinem & timorem creandum, facere respectum infirmitatis & indispositionis, qui quandoq; merito non habetur ab iis, qui toto corde conuertuntur, & præsentiunt in se mutationem dexteræ excelsi: quia tamen uniuersaliter obiectum hoc q ego uel ille sit assequutus gratiam, erat huius generis ut posset admittere formidinē,

reddit huius rei rationem, quia scilicet, Nullus ualet certitudine fidei, cui non possit subesse falsum, id scire: Ac si clarius dixisset. Non est hoc inter obiecta illa, de quibus superius modo diximus, quæ sunt catholicæ fidei, de quibus iam non liceat dubitare. Et iccirco nos salua fide, in illis permittimus formidinem ac dubitationem, quam tamen hæretici detestátur, quoniam uolunt ex huiusmodi dubitatione periclitari catholicá fidem. Ecce ut cuncta uero consonant sicut poscit natura ueri.

Vtauté quod dico etiá perspicuo clarius reddam, Ecce cuilibet homini quáuis acuti uisus, qui certo uideat columnam a longe, & certo cognoscat se uidere columnam, alius potest dicere. Vide ne forte decipiaris, ut non cernas, quam tibi cernere uideris, columnam: potes enim decipi. Multis enim interdũ uidetur aliquid uidere, quod nõ uident. Et tamen de eodem homine uidente columnam, hoc supposito ꝙ uere uideat, eo quod sit sani sensus, & distantia proportionata potentiæ sensus, & medium

non

non perturbatum, uere dicetur ꝙ non decipitur, sed etiā ꝙ iis cōsistentibus nō potest decipi. Et ita contingit in reuelationibus particularibus, ut dicatur simpliciter posse esse deceptionem, non tamen ex suppositione, cum legitima facta sit probatio, secundum doctrinā scripturarum, aut internum discretionis spirituum donum. Sed hæc declarare non attinebat ad sanctum synodū, cum ageret aduersus hæreticos, qui uolunt omnibus qui credunt, esse certitudiné hanc ex fide catholica, sicut dictum est, quod solū merito uoluit s. synodus cōdénare.
¶ Ad illud uero tertio loco ꝑductum, quo probari uidetur, ꝙ etiam ex fide catholica, cui non potest subesse falsum, saltem collectione & arguméto potest homo suæ gratiæ certus esse, ut in sacramento baptismi. Sed facile respōdetur, ꝙ cum hoc obiectum non immediate respiciat fides catholica, non potest sciri certitudine illa fidei, qua certo credunt quæ sunt publice ac certissime reuelata. Hoc enim mihi solum dicit fides catholica, ꝙ qui rite baptizātur, recipiunt gra

tiam: & amplius, ꝙ illi rite baptizantur, qui afferunt puram fidem absque dolo. Quod uero talem ego fidem attulerim, non dicit mihi ulla fides, sed huius est testis conscientia. Et propterea non potest hoc obiectũ, scilicet me esse fidem adeptum, simpliciter, & mere haberi a fide catholica, cui non potest subesse falsum, ut ualeamus dicere, ꝙ hoc sit mera ueritas fidei, quã ueritatẽ loquutus sit Deus, uidelicet, me esse gratiam cõsequutum. Nã id accipio ex parte a testimonio conscientiæ meæ, quæ potest falli, & si forte non fallatur: & propterea non potest asseri ea certitudo, quæ est catholicæ fidei. Quare Ioannes Bacchon docte dixit, esse de hoc certitudinẽ, siue cognitionẽ, non quidem naturalem, sed quæ sequit̃ fidem: quia uenit ab experimento certo, quod supposita fide certos nos reddit, & si ipsi experimento in gñe possit subesse falsum: Si tamen suis uallatum fuerit circunstantiis, in particulari nec suberit falsum, nec subesse quidem poterit.

❡ Inducitur ergo impossibilitas erroris non simpliciter, sed ex suppositione: si-

cut necesse est sedentem, dum sedet, sedere, & non necesse simpliciter. Patet enim quod sicut multi decipiuntur qui putant se rite accessisse ad sacramentum, ut hæretici, & qui ab hereticis absoluunt: aut qui quouis modo non afferunt purum cor, ut olim Simon Magus, & nunc quicunque solam fidem sufficere ad iustificationem arbitrantur absque pænitentia aut contritione: Ita etiam multi sincere, & ut oportet, accedunt, qui nec id ignorant, nec decipiuntur, & bene norunt ex interno lumine se non decipi, cum tamen nō negarent absolute se posse decipi. Ideo certi redduntur adeptæ gratiæ non mere a certitudine fidei catholicæ, cui nō potest subesse falsum, ut dicunt Lutherani, quæ sola non perficit hanc conclusionem, sed quum illi adiungitur alia certitudo de propria conscientia. Ex quibus duabus propositionibus certis, & qualibet suā certitudinem habente, certa quidem cōclusio sequitur, sed non habens purā certitudinem quæ est in maiore: sicut ex uniuersali aliqua propositione cū inducitur minor parti- Act. 8.

cularis, conclusio sequitur particularis. ¶ Verũ ut quod dico fiat exemplo manifestius. Aiunt Philosophi, particularium & contingentium non esse scientiam. Nã proprie ea sciri dicuntur, quæ uniuersalia sunt & necessaria, ac perpetuæ ueritatis. Illud enim uerum dicitur philosopho & demonstratori, quod est necessarium: sic enim accipit Aristoteles in primo Poster. si recte consideret. Et tamen dicimus ꝙ etiam contingentium & particularium potest esse scientia, inquantum ab uniuersalibus educit, & inde cõtrahit uniuersalitatem aliquã & necessitatem: unde & de hoc uniuersali, uidelicet, Triãgulus habet tres &c. uera scientia est, cum sit eius perpetua ueritas, ex qua sequitur de quouis dato particulari triangulo uerum esse, ꝙ habet tres. Et nihilominus quum inducitur certus aliquis & particularis triãgulus, non absolute nec simpliciter de illo dicitur ꝙ sit sciẽtia, ꝙ habeat tres, sed est notitia sensus. Potest autem desinere esse triangulus, & sic nõ habebit tres. Nõ igitur particularis cõclusio proprie sciẽ-

tifica est: quia non habet ueritatem illã quæ est in maiore uniuersali, puram, firmam, æternam, sed cum hypothesi, uidelicet, si maneat, aut donec mãserit triãgulus, habet tres. Sic.n. inest ei uis uniuersalis, & necessaria atq; perpetua ueritas. Sic est & in proposito. Certitudo enim huius propositionis, Qui rite fuit baptizatus accepit gratiam, ex fide catholica est. Quod uero hic uel ille, rite sit baptizatus, non dicit fides, sed percipitur sensu & experiméto. Quod & si certo quis nouerit de seipso, nõ propterea quæ inde sequitur conclusio, uidelicet, ꝙ certus est suæ gratiæ, habet eam certitudinẽ simpliciter quæ est in maiore, quæ simpliciter est fidei catholicæ. Quãobrem recte in ꝓposito cõcluditur, ꝙ tota hæc certitudo huius conclusionis ꝙ ego sim in gratia in casu proposito, cõflatur ex duabus certitudinibus, alia qdem quæ non potest deficere, quia est a fide catholica, cui non potest subesse falsum: alia uero quæ potest deficere, quia est a sensu & experientia quæ potest esse falsa, recte dicitur, Inquantum uenit hæc certi-

tudo ab ea fide, non poteſt ei ſubeſſe falſum: Inquantũ uero a ſenſu & conſcientia, põt quidem uideri certitudo, & non eſſe. Simpliciter ergo põt ei ſubeſſe falſum: Ex ſuppoſitione uero ſi ponitur ꝙ conſcientia recta ſit & pura, non coinquinata, non cauteriata, & ita ꝙ non decipitur: hoc poſito & retento, iam non poteſt ei ſubeſſe falſum.

¶ Hæc uero omnia quæ ſunt ueriſſima, non obſtant quouis mõ illi ueritati pro qua diximus & ſcripſimus, uidelicet, ꝙ multi poſſint eẽ certi ſuæ gratiæ, & hoc certitudine fidei, intelligẽtes ꝙ hæc certitudo ueniebat a fide ex parte. Nec tamen unq̃ diximus, ꝙ huic fidei ſimpliciter & abſolute conſyderatæ, non poſſet ſubeſſe falſum, ſed oppoſitum etiam ſcripſeramus, cum ad diſcernẽdum utrum decipi ualeamus an nõ, circa ea quæ credimus, accipiamus regulam ab obiecto quod nobis eſt notius, & non ab ipſo habitu interno fidei, conſyderantes utrum credulitas noſtra procedat a fide infuſa an non: quod eſt nobis difficillimum apprehendere. Nõ tamẽ hæc falſitas ſi poſ-

ſibilitas concedebatur inquantum con-
cluſio procedebat a certitudine fidei ca-
tholicæ, quæ eſt infallibilis, ſed inquantũ
poterat homo decipi ſuo ſenſu in pro-
poſitione minore, qua tamen poſita ue-
ra & certa (ſicut poteſt poni in nonnul-
lis caſibus) ultro iam ueniebat certitudo
fidei de concluſione, cui nõ poterat ſub-
eſſe falſum, Sicut in reuelationibus ueris
non poteſt negari, ſiue ſint ſpeciales, hoc
ẽ, priuilegiatæ ex diuino ſpeciali alloqo,
ſiue alioqui particulares, ut credimus eſ-
ſe in uiris bonis, qui in ſeipſis feruorem
perſentiunt charitatis, qua illorũ corda
plena ſunt pace ac gaudio & luce ſum-
ma, & audiunt ibi ſpiritum clamantem
Abba Pater: hi enim ſunt fructus ſpiri- Rom.8.
tus. Quod ſi plurimi hæc nõ uident, ini-
quum eſt eos inuidere aliis q uident.
¶ Ad ultimum argumentum quod ma
gis mouet, Reſpondetur ꝙ uere ſancta
ſynodus contra hæreticos ſtatuens, pri-
mum non ad ſe credidit pertinere, caue
re de his, quibus ſcriptura, aut ipſa Chri
ſti uox, præbuit teſtimonium de ipſorũ
gratia: quoniam non ſolum illi hanc ſi-

dem de ipsis habere tenebātur, cum in-
ciperet esse catholica fides, sed omnes q
bus erat notitia scripturarum. Illi enim
iam canonizati erant scripturæ testimo-
nio ac uerbo Christi manifesto, cui om-
nes credere tenebantur, qui erant legiti-
me persuasi de Christo a scripturis san-
ctis. Ecce de Ioanne testatus est Domi-
Matth.11. nus ꝙ illa scriptura Isaiæ, Ego uox cla-
mantis in deserto, pertinebat ad eum: si-
cut & alia apud Malachiam. Et de Apo
stolis suis quanta prænunciauit Domi-
nus? quæ tamen & in ueteribus scriptu
Isa.c.8. ris inueniebantur. Isaias enim ait. Liga
testimonium, signa legem in discipulis
meis: Ecce ego & pueri mei quos dedit
mihi Deus in signum & in portentum
Israel a Domino exercituum, qui habi-
tat in mōte Sion. et alibi. Et merces mea
mecum. Sicut aūt non aspexit sancta sy-
nodus ad huiusmodi priuilegiatos, quo
rum singulari electioni diuinæ scriptu-
ræ attestātur, quia de his nō poterat esse
dubium, quoniā catholica fides ad illos
extendebatur: Ita etiam non aspexit ad
eos, quibus Christus uoce propria atte-
status

ſtatus eſt, cui non hi ſolum quibus illud dicebatur, ſed omnes tunc audiẽtes, aut etiã poſtmodo legentes, tenebantur cre dere ex fide catholica: & nos etiam tan to magis, quanto Chriſti ueritas & ſcri pturarum, pluribus eſt confirmata teſti moniis. Et p hæc omnia ſatis patere po teſt ꝙ Decretum hac parte habet uerita tem, nec quicq̃ præiudicat aſſerentibus poſſibilem gratiæ certitudinẽ, quæ uel interna uera inſpiratione ac reuelatione Spiritusſancti agnoſcitur, non illa ſpecia li, de qua doctores loquuntur, & per ip ſius gratiæ ſingulares effectus manifeſta tur, uel certo argumento ex his quæ ca tholicæ fidei ſunt (adiuncta ipſius facti certa notitia) colligitur: quanq̃ hic mo dus notitiæ ſimpliciter & in genere, ſi cut dixi, poteſt pati deceptionem, non tamẽ in illo uel in illo qui in certiſſimis ſignis & in luce manifeſtiſſima innitat, & non in falſa atq; fallaci hæreticorum certitudine, contra quam ſancta ſyno dus palam intendit. Hæc uero ſcripſi in gratiam ueritatis pro gloria ſynodi, ne facile audeant, qui non intelligunt, de

trahere sancto Decreto, quod oportet uenerabiliter in cunctis suscipere: non tamē ita detorquere ad sensum falsum, quem non ualeamus defendere, & aduersariis dare occasionem deridēdi. Nō hic adiiciam ꝙ sunt alia loca in Decreto, quæ in ipso nostro tractatu annotaui, unde satis elicitur posse hominem cognoscere gratiam diuinam in corde suo præsentem: ad quæ me remitto.

¶ Nunc illud solummodo addā, Si uerba canonis subtiliter consyderentur, locum dant ut seruent hāc certitudinem, quam nos defendimus. Eo.n.ipso quod ait, Neminem scire posse se gratiam cōsequutum certitudine fidei, cui non possit subesse falsum, satis pmittit scire hoc posse hominem certitudine fidei, cui tamen possit subesse falsum. Et hoc permittens, etiam illud admittit, ꝙ eidem fidei possit etiam non subesse falsum. Nihil enim ꝓhibet esse fidem, cui etsi possit subesse falsum, possit etiam non subesse, & ita dari ꝙ non subsit. Vnde relinquitur posse hominem certum esse se in gratia esse certitudine fidei, cui etsi pos-

sit subesse falsum, non subsit tamen: Et cũ rationem huic dicto adiũxeris, Ideo eiusmodi fidei non subesse falsum, quia homo diligenter seipsum explorans, certo comperit (quo ad se attinet) non decipi, & ita persuasionem certam de seipso acquirit ꝙ nõ fallitur: hoc ipso iam supposito ac retento, recte postmodo dicitur, In hac fide non posse inueniri deceptionem: sicut etiam dicitur. Quod latius in nostro tractatu sum ꝓsequutus.

℃ Libet superiori disputationi & hoc attexere, Tãtum absuisse S. synodum, hoc est, spiritum ueritatis qui erat in illa, ab eo ut uoluerit damnare certitudinem illam gratiæ, quam testimonio sacrarum scripturarum ac Patrum, & doctorum catholicorũ probari, ac rationibus euidentibus euinci non dubitamus, ut etiã ex doctrina sua, & canonibus suis, dederit uiris (acuto tamen ingenio præditis) posse illã elicere ac sibi ꝑsuadere: quod ut clare cernatur, proferam loca.

℃ Primo cum in sua doctrina habeatur, in iustificatione tria simul infundi, uidelicet, fidem, spem, & charitatem: & B. Au

gustino ac Thoma testibus, potest homo certo nosse suam fidem, etiam illam a Deo infusam, ꝑfecto manifeste sequitur ꝙ iustificatus hoc noscens, cõfestim ut certus cõstituitur de sua fide tunc accepta, certus erit etiam de charitate, quæ fidẽ in ipsa iustificatione necessario concomitatur, & præsertim cũ dicat: S. Doctor, ꝙ ab ipsa gratia effluunt hæ uirtutes, fides, uidelicet, spes & charitas.

¶ Secundo in canone xxvi. sic dicitur.

¶ Si quis dixerit iustum non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare & sperare æternam retributionem a Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & diuina mandata custodiendo, usque in finem perseuerauerit, Anathema sit.

Vult ergo manifeste Canon iustos specialiter teneri ad sperandum pro bonis operibus: Iusti igitur obligãtur ad hoc. Quod si nemo se iustum esse potest nosse, nullus cõsequẽter potest scire de suis operibus an bona sint, hoc est, meritoria uitæ æternæ. Quod si ita est, profecto nullus tenebitur ad hoc spei suæ præceptum, quod peculiariter respicit iustos. Et quidem mihi hæc sequela uidetur ma-

nifesta. Nam quum aliquibus quid præ-
cipitur, oportet eos nosse illud sibi man-
dari, ad hoc ut teneantur præcepto, nisi
forte ignorátia culpabili illud ignorãt.
Præcipit autem hoc in loco iustis: opor
tet igitur ad hoc ut noscant sibi esse præ
ceptum, ꝙ noscant se iustos. Id autem
quo pacto constat cum eo, quod quidã
uolunt, neminem certo nosse posse iusti
tiam suam? Vanus igitur redditur iste
canon, qui præcipit non ualentibus sen-
tire præceptum ad se pertinere.
¶ Nec dicat mihi aliqs, satis esse ut quis
ꝓbabiliter se iustum esse agnoscat. Hic
enim certa ueritas, nõ probabilitas, quæ-
ritur, in qua possit non esse ueritas. Præ-
ceptum enim iustis fit, nõ iis qui se pro-
babiliter iustos possint suspicari & falli,
ut uerba ipsa plane sonant. Nõ enim di-
citur in canone, Si quis dixerit eos qui
probabilirer se iustos credunt, aut opi-
nantur, sed simpliciter iustos appellat:
quãuis nec id facile fateamur posse acci
dere, ut quis probabiliter se iustum exi-
stimet coram Deo, & uere talis non sit:
cum homo ualeat per cõscientiam sui

cordis abſcondita penetrare: nec ſit colligenda probabilitas ab eo, cui nota poſſit eſſe rei ueritas. Qui enim fieri poteſt ut homo iniuſtus probabiliter poſſit exiſtimare ſe iuſtum conſcientia intus non ſerena, non quieta, neq; tranquilla, qualis eſt in his qui ſunt uere iuſti? Qui enĩ probabiliter putare poteſt ſe iuſtum, ſi id exiſtimet probabiliter, dignus eſt uenia, ſi iniuſtus inueniatur. Verum de hoc alibi fuſius: ſed ad rem. Argumentũ hoc quod texui ex canone pro certitudine gratiæ, a quibuſdam theologis (dum res agitaretur) perſpectum fuit: & tamé præualuit Spiritus ueritatis.

¶ Tertio, habetur in Decreto (et hæc eſt B. Thomæ doctrina) quod ad iuſtificationem neceſſarius eſt motus liberi arbitrii hominis qui iuſtificatur, hoc uidelicet pacto. Homo quum iuſtificatur, mouetur a Deo, ut uoluntarie ſuſcipiat gratiam & iuſtitiam, quæ illi ab ipſo deo infunditur, ita ut non mere paſſiue ſe habeat in ipſa iuſtitiæ infuſione. Quod ſi uerum eſt, & hoc fieri non poſſit, niſi nouerit homo infundi ſibi iuſtitiam (Quis

enim uoluntarie quicq̃ ab alio accipit, quod ab eo nesciat sibi dari, & se accipere?) clare consequitur, ꝗ homo scit se iustificari quũ iustificatur, idq; certo: quoniam aiunt ad accipiendum munus gratiæ moueri liberum arbitrium a Deo. Hoc igitur homo obseruans, manifeste poterit scire & sentire aduẽtum gratiæ: quoniam tunc erit, iuxta doctrinã hanc, quum acceptat. Sentit aũt homo se acceptare, quum acceptat, & quum mouetur a Deo ad acceptãdum, si animaduertat se moueri: & ita certo sensus experimento colligit tũc aduenire gratiam in animam suam, uel aduenisse. Nec tamẽ me latet hæc quæ docet S. Doctor, indigere ampliore discussione, quæ alteri tractatui seruata sunt. Hæc autẽ cuncta sub pedibus uestris, & S. Synodi, in syncera humilitate ac deuotione ponuntur.

AD EOSDEM REVERENDISSI. & Illustriss. Dominos, & ad uniuersam sanctã synodum, Defensio catholicorũ qui pro possibili certitudine præsentis gratiæ disserunt, per eund. F. Amb. Catha. Episcopum Minoriensem.



IAM ABSOLVERAM, Reuerendißimi & Illustriss. Domini, superiorem Decreti uestri interpretationem pro ipsius ueritate tuenda, quod attinet ad articulũ de certitudine gratiæ, quùm delatus est ad me liber amici mei ac fratis in Domino charißimi F. Dominici Soto, quem de natura & gratia inscripsit, in quo cum multa sint quæ non probem, & meritò à doctis ac peritis in sacris literis minime probanda esse existimem, illud tamen plurimum ac meritißimò displicuit, quòd in ea quæstione de poßibili certitudine gratiæ, ea nos defendisse testatur, quæ non solùm à mente & cogitatione nostra semper fuerunt aliena, uerùm etiam iis è diametro aduersa, quæ nos & uerbis perspicuis pronunciauimus, & coram uobis etiam de scriptis recitauimus. Satis enim me petit ille (quanquàm suppresso nomine) cum in asserentes præsentis gratiæ certitudinem, ipsos etiam Catholicos, totus militet, cum iam plurimo rumliteris ac rumore, ferè nemo nesciat ita me in ea quæstione

geßisse

gessisse, ut qui sua legant, facilè uideant me tanquàm digito designari. Quod nec ipse negabit, opinor. Quare hoc huius uiri tam publicum testimonium, & omninò falsum, pro nostræ existimationis defensione (quam arbitror cum orthodoxa doctrina coniunctam esse) ullo pacto ferre non possum. Nam quantum mihi licuit ex eius scriptis elicere, de re ipsa & quæstione principali, quam tractatam ac definitam à sancta synodo asserit, & nemo negat, mirificè uideo nos conuenire: quin imò etiam semper conuenisse, nisi quòd fortè inuicem nos non intelligebamus. Nam & quæ ego anteà asserebã pro certitudine possibili præsentis gratiæ, ipsemet Soto ita luculenter recitat, atque ita etiam uehementer comprobat, ut ego amplius ab eo non desiderem, nisi ut hoc ipsum tandem constanter agnosceret. Nam si desinat uel secum pugnare, nihil supererit quin mecũ in cunctis circa istum articulum conueniat. Quare doleo non licuisse nobis per illum, suum hunc librum uidere antè quàm æderet, aut saltem hac de re familiariter colloqui. Intellexisset enim profectò nos aliud sentire ac defendere, quàm quod ipse putat: Nec illi fuisset opus cum multorum scandalo, & iniuria nostra, ac penitus absque omni fructu, taxare Catholicos, & in eo pugnam & uictoriam fingere (sicut alius fecit) in quo nulla fuit. Verùm quoniam parum est dicere, nisi probetur quod dicitur; Dicenti autem incumbit onus probandi, ut iura uolunt, quæso uos sanctissimi Patres, ad hoc accinctum patienter audite.



RIMVM PROTESTOR quòd licet magnã illius libri partem percurrerim, multáq; offenderim quæ non probem, ut præfati sumus, non tamen fuit in animo cuncta taxare: nam id operosum nimis, & onerosum ualdè. Hoc præmiserim ne quis illud Caii Plinii hic existimet conuenire, reliqua scilicet satis esse probata, quæ non fuissent reprehensa. Illud igitur hic in primis mihi tractandum sumo, quod ipse in tertio libro & secunda eius parte tractauit, uidelicet, de certitudine gratiæ cap. 10, quanquàm ibi aliter titulum mutet & præponat, de certitudine fidei Lutheranorum, nescio quanam arte. Ait ergo. Subsequitur iuxta præfatam in fronte diuisionem, ut in hac secunda parte de certitudine gratiæ dicere prosequamur, de quo quidem articulo nõ solum cum Lutheranis, sed cum nonnullis Catholicis certamen nobis existit, sanè à quibus magnum nobis fuit negotium exhibitum &c. hæc ille. Primum doleo uehementer quòd hic homo dum seipsum prædicat, non paruum præbet scandalum rei ueritatis ignaris, cum audiant ex illo non solùm cum Lutheranis, uerùm etiam cum Catholicis sibi fuisse, & adhuc manere certamen, etiam re per sanctam synodum definita. Quid hic dicant hostes nostri, & quanto perfun

dentur gaudio hoc testimonio, cũ audiant de eo quod difinitum est in sacro concilio etiam inter nos manere certamen? Dixisset saltem, certamen extitit, & non, certamen existit, ne daret hostibus materiam obloquendi, & obiectandi. Ecce schisma natum ē inter eos. Quare meritissimè doleo & uehementer, huic homini talia excidisse, & si fortaßis (ut existimo) inconsideratè, certè falsò. Nã & quæ synodus docuit, omnes Patres uno ore cõprobarunt, & post eius sententiam (quãtum ego sciam) omnes itidem siluerunt. Nullum igitur, nisi ipsi excitent, manebat certamen. Sed accedamus propius, & ipsam quæstionem inspiciamus in suis uerbis, super qua adhuc ait uersari certamẽ.

Ait, Quæstio ergo est, utrum ualeat homo citra speciale reuelationis priuilegium de cõmuni lege, habere tantam certitudinem se esse in gratia, quãta est fides catholica. Et paulò inferius. Atqui interrogatio solùm fit de certitudine quanta est fidei catholicæ. Et iterum tandem statum quæstionis ponens, ait. Sola ergo constituitur quæstio de certitudine fidei catholicæ, illius'ue simili. Ecce igitur quæstio circa quã uir iste magnum habuit negotium aduersum nos. Ego uerò nesciui unquàm uel in synodo Patribus, uel extra synodum Theologis, sub his uerbis fuisse propositam quæstionem, nec sub aliis quidem ~~qui~~ hunc sensum redderent: nec ullum unquàm Catholicorum audiui super hoc disceptantem. Audiui autem omnes & attentißimè, quòd si qui huius sic propositæ quæ- que

ſtionis partem negatiuã diſputando aſſerebant,ut certè pleriq; erant qui hoc facerent,aduerſus neminem contendebant,& nullus eis hac dumtaxat parte,aduerſabatur.Imò ego ipſe qui uideri poteram unus ex iis qui apprimè & confidèter aſſereret uirum probum,& ſeruantem mandata Dei,poſſe teſtimonio ſpiritus habere certitudinem ſuæ gratiæ abſque ſpeciali reuelatione,ſicut ſcripturæ ſanctæ,& patres antiqui,& rationes (ni fallor) urgentiſsimæ mihi perſuadebant: Ego ipſe,inquã,uidens ſecus accipi meam ſententian ac ſe haberet,diſertè,& in ſcriptis,proteſtatus ſum nunquàm me ſenſiſſe,nec uelle defendere quouis modo certitudinem fidei catholicæ,nec omninò tãtam certitudinem,quanta eſt catholicæ fidei reſpectu obiecti:Et quoniam ſcripta propria ſeruaui,nunc illa ipſa fideliter, Deo teſte,ſubiungam:hæc nempe ſunt.

Declaro, quòd etſi dicimus certò ſciri poſſe gratiam,& quidem certitudine fidei,ſicut ſancti patres dicere frequentiſsimè non dubitarunt,ut D. Bernardus,quod & Caietanus eleganter,& uerbis manifeſtis declarat,quod etiam ex ſe manifeſtum eſſe putat (nam ſi gratia eiusq; præſentia ſciri poteſt,à quo alio lumine quàm fidei hic in uia ſciri poſsit?)non proptereà dicimus eam eſſe de hoc certitudinem quæ eſt de articulis fidei: Et ideò non uocamus hanc fidẽ catholicam,ideſt,uniuerſalem,ſicut accipit B. Athanaſius, ſed eſt fides particularium ſentientium in ſe huiuſmodi lumen.Et falſiſsimum eſt,nec diſputatione aut re=

sponsione ulla dignum, quod est à quibusdam (alioquin doctis & magnis uiris) dictum: uidelicet, quòd homo ex lumine fidei non potest aliud cognoscere, quàm quod ab ecclesia est determinatum, & in illa notum. Item quod lumen nõ extenditur ad ea quæ sunt facti & cõtingentia, cõtra euidentißimas scripturas. Alioquin dicant isti mihi (ut penitus redarguantur) nonne B. Augustinus & Thomas clarè dicunt, quòd ipso lumine fidei potest homo certò noscere se habere fidem infusam? Quomodo ergo id ex lumine fidei, cum hoc non sit determinatum ab ecclesia, & sit res facti atq; contingens? Et tamen isti sunt horũ Achilles, quibus nos adoriuntur ii qui aliter sapiunt.

Negabit forsan aliquis B. Augustinum aut Thomam hoc dicere. Sed Thomistæ id minime inficiabuntur, qui clarè norunt ex loco 1.2.q.112.art.5. ad secũdum. & Commenta. in epistolam secundam ad Corin. c. ultimo. De B. Augustino manifestum est, lib.3.c.1. de Trin. cuius hæc sunt uerba. Fidem porrò ipsam, quam uidet quisq; in corde suo esse si credit, uel non esse si non credit, aliter nouimus, non sicut corpora, quæ uidemus oculis corporeis &c. non sic uidetur fides in corde in quo est, ab eo cuius est, sed eam tenet certißima scientia, clamatq; conscientia. Cum itaq; propterea credere iubeamur, quia id quod credere iubemur, uidere non poßumus, ipsam tamen fidem, quando inest in nobis, uidemus; quia & rerum absentium præsens est fides, & rerum quæ foris sunt,

intus est fides, & rerum quæ non uidentur, uidetur fides. hæc ille.

Dicimus etiam & declaramus, non eandem esse nec parem in omnibus iustis huiusmodi certitudinē, sicut nec ipsa articulorum fidei determinatorum certitudo par est omniū. Et ideò non requiritur ab his qui hanc fidei certitudinem habent, ut se exponant martyrio, aut iureiurando eam asserant. Manifestè enim falsum quidam assumunt arguētes, & uolentes quòd pro omni quod à lumine fidei habeo, quouis modo debeam suscipere martyrium. Imo est tempus aliquando, quùm nec liceat alteri reuelare quæ quis habeat ex fide, quemadmodum Apostolis præcipitur ne

Mat. 17. *Christum prædicent, & uisionem in monte, nisi postquàm resurrexisset à mortuis. Et per hæc patent soluta & disiecta ea argumenta, quæ uiris timoratis & piis poterant aliquem facere fucum de martyrio & iureiurando: quoniam etsi hæc fidei certitudo ea sit cui non posit error subesse, secundum quòd ab interiore lumine diuino procedit, non tamen talis est nec tanta, quo ad nos, quanta est certitudo articulorū fidei, & eorum quæ ab ecclesia determinata sunt & nota, nec ita omnibus patet, nec est omnis ita certus quòd habeat gratiam (& si habeat) ut posit quilibet ista uia decernere omninò se habere quod habet. Nihil enim prohibet aliquem de aliqua re habere notitiam à certitudine fidei, & tamen eundem non cognoscere utrum à lumine fidei illud ueniat. Nonne oculus*

iste meus uos uidet, & tamen oculus meus non uidet se uidere? B. Bernardus de casu angeli dixit quædã, quæ tamen ambigebat an ex diuina reuelatione habuisset. Vnde hortantur gloriosi sancti plerumq; homines, puta, recens baptizatos, uel eos qui pœnitentiã peccatorum egerunt, ut certò credant se in gratia esse, sicut producemus (si mihi fides non adhibetur) B. Ambrosium & Augustinum hoc planè & expresse dicentes. Addo quod hoc lumen fidei obnubilatur in plurimis, refrigescente propter tepiditatem nostrã charitate: interdum etiam à tentationibus. Cant. 17.

Hæc ego tunc clara uoce. Quare & confestim cũ primùm à sancta synodo sancitum fuit ac pronuntiatum Decretum, interpretationem huius articuli superiore libello perstrinxi, propter nonnullos qui non satis mentem sanctæ synodi attingentes, scandalum patiebantur. Cur igitur gratis nunc & iniuria infamamur ab hoc homine, qui passim illud catholicis impingit tanquàm ab eis assertum, quod erat tam manifeste pernegatum? Quasi non ualuerint hi homines prædicare seipsos (si hoc libebat) absque uituperio nostrò & multorum scandalo, nec alio pacto quàm fingentes è certamine uictorias suas. Non secus enim ab alio fratre, & socio eius de Mirãda patratũ est, qui etiã controuersiã fuisse finxit de residẽtia necessaria episcoporũ, quæ tamen nulla fuit, & nihilominus adiecit à se explicatam fuisse Tridenti; quod & certè nisi ipsemet indicasset, nemo unquam sciuisset.

Quòd autem iste Soto in publicum dederit decretum de peccato originali, & eius utatur sententiis quasi fuerit sanctæ synodi Decretum, quod ab ea pronunciatum est & promulgatum, cum uerè ipsum non sit, quis excuset? Fuerit sanè inconsiderantia, ut credimus, et nō dolus. At in huiusmodi incōsiderātia non ullius mōmēti ē, sed magni pōderis ac præiudicii error.

Sed ad rem propositam reuertamur, & explicemus nunc primū de tota quæstione in quo conuenimus; Deinde in quo per illum fortè posit aliqua inter nos interuenire dissensio: Deniq; alia quædā, in quibus eū puto proculdubiò aberasse à uero, simpliciter annotabo.

In quo conuenerint Catholici disputatores de gratiæ certitudine.



Onuenimus ergo primùm in hoc articulo de certitudine gratiæ, Quòd nemo potest habere eam certitudinē suæ gratiæ, quæ sit fidei catholicæ certitudo. Intelligimus autem unanimiter fidem catholicam, illam fidem quæ est uniuersalis, & una omnium, habens obiecta eadem probata & certa in ecclesia Dei, quæ ab omnibus sunt fide suscipienda. Conuenimus ergo aduersus Lutheranos ambo: quoniam, ut ipse Soto testatur, illi uocant catholicam fidem, qua unusquisque peculiariter certò credit se cōsequi remisionem peccatorū.

Conuenimus & secūdo in hoc, quòd homo non solū non potest

non potest habere de sua gratia certitudinem fidei catholicæ, uerùm nec tantam fidei certitudinem, quanta est fidei catholicæ ratione obiecti: quoniam catholicæ fidei obiectum est iam probatæ et infallibilis ueritatis, cui omninò non potest subesse falsum: sicut quòd Deus *est trinus & unus, & cætera quæ de sacris literis patent, & in ecclesia decisa sunt ac recepta.* At *uerò hoc obiectum, uidelicet, illum, uel illum, consequutum esse gratiam, non tale est, & ideò in eo (secundum se) potest esse deceptio, imò multi reuera decipiuntur, etsi etiam non decipiantur multi.*

Conuenimus & tertio in hoc, quòd Decretum *(sicut ego exposui, & ipse similiter intelligit) hoc solummodo dicit, quòd homo nõ potest scire suam adeptam gratiam certitudine fidei catholicæ, hoc enim significant uerba* Decreti *dicẽtis, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum: ac si contractius dixerit, certitudine fidei catholicæ, cuius obiectum infallibilis est ueritatis. Salua ergo sunt omnia. Conuenimus enim in eo in quo oportet, & ut ait* Apostolus, *Ad quod peruentum est.* Philip.3.

Conuenimus nihilhominus & quarto in hoc, quod dici etiam uerè potest, hominem certum esse posse suæ gratiæ, & hoc quidem certitudine fidei, non tamen catholicæ. Hanc *enim conclusionem frequenter ipse admittit & probat, & si non constanter in ea permanere uideatur, cum circa hoc perplexè satis loquatur, ut homo nesciens sese excusare.* Et *certè non iniuriæ gratia in eum obiicio, sed (ni ualdè fallor) ex ueritate, & ex*

ea,qua in eum afficior, dilectione, eò quòd nollem ita eum Magistrum agere,ut non arbitretur se posse etiã in multis offendere. Condonet igitur mihi,sicut et nos illi uicißim ueniam damus, quòd sæpenumerò nos alios ut puerili errore detentos reprehendit, & uel esse le ues,uel esse hæreticos iactitet, & nostram nos prode= re ignorantiam atque inscitiam non ueretur asserere: cum nec quid sentiamus, neque quid dixerimus, nec quid protulerimus,sciat. Qua re si quid esse potest le= uius ipse uiderit:nos ad rem ipsam reuertimur. Quòd enim ipsemet probet quod asseruimus,& adhuc (sal= ua semper.S.Synodi autoritate)asserimus,ab eius ma= nifestis uerbis & doctrina facilè potest ostendi. Ete= nim ille cum Bucero agens, cõceßit illi tanquã uerum atq; indubitatum, quòd fides certum facit hominẽ suæ gratiæ,quãdo habetur per motum Spiritus sancti,ipso uidelicet Spiritu sancto perhibente testimonium spiri tui nostro adoptionis nostræ, iuxta uerbum Apostoli ad Rom.8. Verùm satius est ut hæc suis ipse uerbis proponat,hæc sunt. At uerò solutio Bucerii erat illic egregiè festiua,scilicet,quòd fides facit hominem cer tum se esse in gratia;quando habetur per motum Spi ritus sancti. Ecquis hoc unquàm dubitare potuit? Sed tamen quando ille motus sit à Spiritu sancto,de hoc di= cimus non posse haberi certitudinem fidei catholicæ. Nam etsi nonnunquã testimonium sui faciat ubi habi= tat,non tamen uel euidens,uel tam certum,quàm est fi des catholica.hæc ille. At quid hoc est,obsecro,nisi id

prorſus quod nos probamus, & cum Dei gratia, etiã defendimus? uidelicet, fidem quæ habetur à motu Spiritu ſancti (teſtimoniũ perhibente illo ſpiritui noſtro) facere hominẽ certum ſuæ præſentis gratiæ, quod iſte adeò non negat, ut etiam, ſicut uerbis perſpicuis declarat, uehementer affirmet tanquã ſine dubitatione tranſigẽdum? Quid eſt igitur quod litigamus? hoc eſt enim quod perpetuò à nobis aſſerebatur. Nec tamẽ damus illi q, Spiritus ſanctus non det quibuſdã tantã ſuæ aßiſtentiæ certitudinem, quãtam fides catholica cõmunis de articulis, ut patet in Apoſtolis, quibus nota certáq; fuit magis ſua gratia propter abundantiam inhabitantis ſpiritus, ut aiunt. S. doctores, quàm multis fuerunt ea quæ ſunt catholicæ fidei: de quo fortè dicemus inferius aliquid. Verùm attendamus nunc quomodo itẽ magis euidenter hanc ipſam ſententiam noſtram cõfirmet, quam etian Lutheranæ oppoſitam confitetur, & rectè.

Octauum (inquit) argumentum contra illud facit quod aiunt, certitudinem gratiæ ſolùm corroborari ex fide, neq; ullo modo augeri ex operibus. Pugnat quippe hoc dogma cum cõmuni ſenſu. Quis enim adeò ſit delirus, ut negare poßit eum, qui totam uitam innocenter tranſegit, maiorem habere conſcientiæ trãquillitatem & ſecuritatem, atq; adeò certitudinem gratiæ, quàm illum, qui poſtquàm perditißimè uixit, per motum fidei credit, & fidit omnia ſibi condonari ſcelera, & flagitia? Atq; ex duobus, qui ex inquinata ſce-

lestaq; uita resipiscunt, ecquis sanæ mentis dubitet, quin ille qui pluribus pœnitentiæ fructibus scelera sua expianda curauerit, certior illa ratione fiat suæ salutis, quàm ille qui tantum à peccatis cessauerit? Insimulant nos illi, *criminanturq; huius iniquitatis, quòd iubemus pauidas conscientias dubitare. Sunt tamen ipsi qui uanissima securitate lactāt peccatores, sanè quibus, licet sceleratissimis sint moribus, nihil aliud consulunt, quàm cauere deinceps à peccatis. Quia Christus nihil aliud dixit, quàm,* Vade, *& amplius noli peccare.* Nos *autem, ecclesia inquam, ut sumus certissimi, quòd ubi quis primùm ab iniquitate animū dimouerit, gratiam* Dei *obtinet: tamen quia nemini est certum certitudine fidei, an uerè cor prauum reliquerit, consulimus ita fidendum esse misericordiæ diuinæ, ut tamē homo per exercitium bonorum operum certā faciat, ut ait* Petrus, *uocationem suam, atque adeò certior indies fiat suæ salutis.* Nam *Christus non nisi seruantibus mandata promisit uitam. &, Qui diligit me, inquit, sermonem meum seruabit,* Et *exhibere nos iubet* Paulus *membra nostra seruire iustitiæ, sicut exhibuimus, ut arma iniquitatis, seruire immūditiæ.* Neque *in* Ecclesiastico *solùm habetur,* Fili *peccasti, non adiicias adhuc: uerùm additur, sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Non *ergo sufficit à peccatis cessare ad constabiliendam certitudinem nostræ salutis, sed ex operibus confirmanda est certitudo.* Vnde *ad Corint.* Paulus. *Gloria nostra hæc est, testimo-*

nium conscientiæ nostræ. Ergo nisi quieta conscientia certitudinem habere non possumus. Ecce quàm clarè pro nobis assistit toties repetens q̃ certitudinem nostræ gratiæ possumus habere, non tamen ex fide sola (ut uolũt Lutherani) sed ex operibus bonis ex fide factis, quæ firmam et certam faciunt uocationem nostrã: quam certitudinem, tranquilla in nobis existente conscientia, tum à perseuerante innocentia per timorem, tum à bonorum operum patratione per dilectionem, confirmamus: hæc est autem doctrina nostra. Quin adde & ipsummet his uerbis disputantem in Lutheranos. Aiunt enim (inquit ille) Cum renouatio sit imperfecta, & hæreat in renouatis infirmitas, tamen dicendum est, ut qui uere pœnitent, semper fide certissima statuant propter mediatorẽ Christum Deo placere. Et in eiusdẽ loci expositione Bucerus ait, q̃ articulus ille solũ pœnitentibus, & uerè pœnitẽtibus & habentibus fidẽ uiuam, præcipit statuere fide certissima se assequi gratiã. Hic precor attenti sint legentes omnes, quẽadmodum isti, qui ex principio tam à nobis diuerso, controuersiam hanc submouerunt, quàm iam solis differẽtes uerbis nos deludant. Quis dubitat quin uerè pœnitentes, habentesq́; fidem uiuam, salutem per Christum obtineant? Quisnam autem sit uerè pœnitens, habeatq́; fidem uiuam, hoc est quod nos dicimus non posse certitudine fidei catholicæ deprehendi. & quæ sequuntur. Nota hic ergo prudens lector, quòd cũ Bucerus articulum ipsorum Lutheranorum, quo precipiunt fide cer-

tißima statuendum esse cuiq; se placere Deo, in illud coastasset, ut diceret hunc articulum debere intelligi de uere pœnitentibus & habentibus fidē uiuam, Ipse Soto hoc in loco illi non repugnat, sed fatetur eos non sensu, sed solis uerbis differre. Ego autem ita puto nobis, cum illo accidere ut de principali quæstione, solis uerbis differamus. Quod enim ipse solummodò mordicus tenet, & putat à nobis non consideratum, uidelicet, quòd quis sit uerè pœnitens habeatq; fidem uiuā, non posse certitudine fidei catholicæ deprehendi, hoc profectò nunquam nos latuit.

Verùm quoniam reuera ipse (ni ualde fallor) à semetipso dissentit, neque constanter loquitur, sed confuse ac perplexè, ut qui non possideat ueritatē, oportet hæc diligentius considerare & animaduertere, ut in quo dissentiamus latè clareq; pateat.

Primùm constituto quòd propriè loquendo, & secundum communem acceptionem eruditorum, nemo certus esse dicitur alicuius rei quæ falsa sit. Certitudo enim propriè, ut D. Thomas declarat, est firmitas adhæsionis uirtutis cognitiuæ ad suum cognoscibile. Non est autem cognoscibile quod est falsum. Aut dicamus, Certitudo est notitia cum adhæsione firma ad id quod noscitur, quasi uideretur. Vnde uox ipsa, certitudo & certus, à cerno descendunt: non autem cerni dicitur quod non uidetur, sed apparet solummodo uideri. Quare si quis fortè scholastica quauis usurpatione dixerit certitudinem esse solam adhæsionem ad id

quod uideatur esse uerum,cum non sit,sed solùm appareat,per me licebit quidem , cum alia etiam plura inerudite comminiscantur:sed hoc apud doctos non recipi,mihi certißimum est,cum nullibi in scriptis reperiat quisquàm , nec apud probatum quemlibet autorem,(de eruditis loquor) hunc prædicandi modum, ut dicatur quis certus esse cuiusquàm rei quæ sit falsa,Alioqui quid obstat,quin omnes qui firmiter existimant se esse amicos Dei,etiam huius opinati certos illos esse dicamus? quod nemo sapiens, credo , dixerit. Quare illum solummodo certum esse alicuius rei uerè ac propriè dicimus, cui res uerè illi apparet uti ẽ, & ita apparet, ut meritò firmitatem faciat adhæsionis in intellectu ad eam rem , & excutiat dubitationẽ atque formidinem.Hoc igitur supposito,& sic intellecta uoce,ut cuiq; in promptu est intelligere,Propono conclusionem, quòd aliquis potest esse certus suæ adeptæ gratiæ; & ratio est, quia potest hoc esse uerum, & hoc uerum potest cognoscere iis modis, qui rationabititer faciant firmam adhæsionem , ut excludatur formido ac dubitatio.Nam,ut ipse Soto inquit,cũ certitudine è diametro pugnat dubitatio.hanc autem cõclusionem iam ipse nobis dedit,ut superius uidimus. Erat enim nimium negare illam , quam sancti patres frequenter pronuntiant,sicut manifestũ facio in tractatu nostro,& inferius ostendemus ex parte.Quare miror quòd hic Magister,quod sæpe confessus est,iterum atque iterum neget tamen. Etenim inter dispu-

uriz

fol. 238.

tandum non solùmodo negat certitudinem catholicæ fidei, sed simpliciter certitudinem. Vnde etiam in hūc modum argumentatur. Quamuis nulla opera nostra bona, necessaria essent ad nostram iustificationem, tā=quàm causa uel dispositio, nec diuinæ motiones, saltem ea quæ praua sunt obstaculo essent gratiæ Dei, an uerò in aliquo iniquo opere, aut saltem cogitatione perseueremus, habere nemo potest certitudinem fidei catholicæ. Ergo neq; certus esse quispiam potest diuinæ in se existentis gratiæ, hæc ille. Vide ut simpliciter cōcludens, negat simpliciter certitudinem, idq; illo argumento, quod si ualet, etiam concludetur, quòd non possit quis esse certus se displicere Deo: quoniam ex fide catholica non est certus ~~enim~~ quā se adulterium com=mittere, aut furtum. Nec putes quòd semel tantum sic paralogizet, nam tædium est singula persequi. Non immeritò igitur dixi hunc hominem confusè ac per=plexè fuisse loquutum: nec enim aliter poterat innitēdo contra id quod uerissimum erat.

Accepta igitur hac ab illo conclusione, quòd certus esse posit homo suæ gratiæ adeptæ, quā meo iu=re poteram mihi sumere, Pono aliam, uidelicet, Cum posit esse certus homo suæ gratiæ, non aliunde hanc certitudinem aduenire posse quàm ex fide, Et iccircò dici potest fidei certitudine certus: aut sicut dixit Ioā=nes Bachon, certitudine quæ sequitur fidem. Hanc cō=clusionem etiam ipse Soto nobis dedit, cum ipsi Bucero concessit fidem facere hominem certum suæ gra=tiæ, quādo

tiæ,quando habetur per motum Spirituſſancti, iuxta uerbum B. Pauli. Ipſe enim Spirituſſanctus teſtifica-tur ſpiritui noſtro quòd filii Dei ſumus &c. Si enim fides certum facit,certitudo igitur hæc fidei eſt, cum proficiſcatur à fide:& cum certitudo ſit,excludit pro fectò dubitationem,ut ipſemet Soto fatetur , ſi uelit conſtare ſibiipſi,qui in Bucerum dixit. Quomodo po-teſt fides certum facere hominem ſe eſſe in gratia,ni ſi tollendo omnem dubitationem,quæ ex diametro pu gnat cum certitudine? Ecce totum iam conceßit quod uolumus , uidelicet nos poſſe certos eſſe noſtræ gra-tiæ certitudine fidei , quanquàm non fidei catholicæ: nec tanta, quanta eſt certitudo fidei catholicæ quod & nos illi damus regulariter. Cur igitur hoc idem quod ſæpe dedit,dum ulterius diſputat, paßim negat, nolens nos poſſe certos eſſe certitudine fidei de no-ſtra gratia? Ro.8.

Dicet fortè , Ego intelligebam de certitudine fidei catholicæ:nam fidei appellatione ſimpliciter hæc ſola intelligenda eſt, quæ catholica eſt. Verùm debuit id explicare, quia non fuiſſet contentio ſuper hoc, cum nemo aſſerat hanc tantam fatuitatem,uidelicet,conclu ſionẽ quæ creditur de propria gratia,eſſe fidei catho licæ,cum ſi talis eſſet, omnes ad hanc fidem tenerentur. Quòd autem ſit certitudo fidei, & ita dici poßit illa,quàm Soto conceßit Bucero,propter Apoſtoli dictum manifeſtißimum, Caietanus ſuus ſuper eo Apo-ſtoli loco eleganter his uerbis probat. Teſtimonium

hoc(inquit)quod Spiritussanctus reddit simul cum spiritu nostro de hoc quòd sumus filii Dei, internum esse significatur, ex eo quòd ab utroq; interno spiritu perhibetur, non aliis sed nobisipsis. Et quoniam testimonium hoc non est de possibili, sed de facto, hoc est, non est de hoc, scilicet quòd possimus esse filii Dei, sed est de hoc quòd sumus filii Dei, Ideò donum speciale est. Nam testimonium quòd possumus esse filii Dei inter testimonia cõmunia fidei comprehenditur. Testimonium autem quòd ego sum filius Dei, speciale donum est. Et quoniam nullius testimonii effectus est uidere, seu, scire rem testificatam, sed credere (non enim inducitur testimonium, sed lumen aut ratio euidentiam faciens ad hoc ut uideatur, aut sciatur res, sed testimonium inducitur ad hoc, ut credatur res testificata ad hoc ut uideatur esse credendum sic esse quod testificatur) ideò ex hoc testimonio Spiritussancti & nostro quòd simus filii Dei, non intelligas me uidere aut scire, sed credere quòd sum filius Dei, sed uidere hoc mihi esse credendum, quòd sum filius Dei. hæc ille, Et paulò post uolens declarare hanc notitiam habere certitudinem, quæ omnem dubitationem excludit, ait quòd hoc testimonium spiritus est sufficientissimum ad hoc, ut credamus quòd sumus filii Dei. Quis autem negauerit à sufficientissimo spiritus testimonio, creante hanc in nobis fidem, uenire procul dubiò certitudinem quæ omnem dubitationem excludit? Sed non hoc solùm Caietanus dixit, qui scripturas tractans aliter de hoc articulo sen

t, quàm sensisset dum scholasticis incumbebat, sed cæteri patres, quos legi, omnes illum Apostoli locũ tractantes, in eandem prorsus sententiam conueniunt.

Ecce D. Chrysostomus super eo loco sic ait. *Quando spiritus testatur, quæ nam relinquatur nobis ambiguitas? Quòd si homo quispiam, uel Angelus, aut etiã Archangelus, aut alia certè huiusmodi quædam potestas aliquid promitteret, meritò quispiam dubitaret. Suprema uerò illa essentia, quæ & hoc ipsmu quod promittit, atque adeò etiam orare iussit, testimonium nobis perhibente, quis nam de dignitate hac deinceps dubitare poterit? hæc ille. Agnosce igitur in hac fide certitudinem, propter testimonium spiritus qui nõ fallit quùm adest, & gaudet informare suos sanctißimus ille paranymphus, & conciliator nuptiarum Sponsi.*

Origines etiam dixit. Ipse spiritus adoptionis, per quem quis adoptatur, reddit testimonium, & confirmat spiritum nostrum quòd filii Dei sumus, postquã à spiritu seruitutis in adoptionis spiritum uenerimus, cum iam nihil inest timoris, idest, nihil pœnarum gerimus, sed propter amorẽ Patris cuncta perficimus. hæc ille. Si igitur hoc testimonio confirmamur cũ absit seruilis timor, quæ põt fingi dubitatio, aut formido quæ nutantem faciat? Qui enim nutat, confirmatus nõ est.

Sed audiamus & Abbatem illum gloriosum, dico D. Bernardum, *hanc fidei certitudinem nobis manifestißimè confirmantem. Ipse enim in ser. 5. dedic. sic disputat & concludit. Quis poterit saluus esse? dicunt*

discipuli Saluatoris. Et ille, Apud homines hoc impoßi bile est, sed nõ apud Deũ. Hæc tota fiducia nostra, hæc unica consolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de poßibilitate iam certi, de uoluntate quid agimus? Quis scit si est dignus amore an odio? Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Hic iã planè fidẽ nobis subuenire necesse est: hic oportet succurrere ueritatem, ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipsius spiritum reueletur, & spiritus eius testificans, persuadeat spiritui nostro quòd filii Dei sumus. Persuadeat autem uocando, & iustificando gratis per fidem, in quibus nimirum uelut medius quidã transitus est ab æterna prædestinatione ad futuram magnificationem. Hæc ille: de quibus uerbis clarè patet, quòd & ipse hanc notitiam probat esse ex fide, quæ innititur in interno sancti Spiritus testimonio, qui uerax est, & certam facit persuasionem reuelans: hoc est enim persuadere, si uocis significationem attendimus, uidelicet fidẽ facere quæ animũ impleat, ut absit nutatio ac dubitatio. Ne uerò specialem paucorum reuelationem hic intelligeres, sed comunem filiorum Dei, meritò adiunxit dicens. Persuadeat autẽ uocando & iustificando gratis per fidem &c. Sed nõ uno aut altero loco ista scribit uir ille gloriosus, sed in plerisq; ita clarè, ita disertè, ut nullum reliquerit tergiuersationi locum quantumuis Sophistis. Nam quodã
In Cant. ser. 59. *alio sermone ait. Nos scimus qui translati de morte ad uitã per uiuificantẽ spiritum certo & quotidiano ex=*

perimento, ipso nos illuminãte, probamus uota & gemitus nostros ab ipso uenire, & ad Deum *ire, illicq; inuenire misericordiam in oculis* Dei. *Quando enim sui spiritus uocem irritam faceret* Deus? *Quid his uerbis potentius, ut intelligamus quòd Spiritus sancti uocem in nobis clamantem, & impetrãtem pro nobis misericordiam certo experimento sentimus?* Nota *uerba, Certo (inquit) experimento ipso illuminante &c. Quæ igitur superesse potest dubitatio?* Et *in alio sermone post multa ait.* Deinceps *omnis in uobis qui* Cant.37. *hæc sentit intra se actitari, quid loquitur spiritus, cuius uox atq; operatio minime inter se unquàm dissentiunt; proptereà ergo intelligit quæ dicuntur, quoniã quæ foris audit, intus sentit.* Et *post alia multò etiam clariora pro hoc testimoniã, sic ait.* Hac *ergo in nobis gemina præeunte notitia, iam ea quæ fortè supercreuerit scientia, minime inflat, utpotè quæ nihil afferre ualeat terreni commodi uel honoris, quod non sit sanè inferius spe concepta, lætitiaq; spei iam altius radicata in animo. Spes autem non confundit, quia charitas* Dei *diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctum qui datus est nobis.* Ideò *illa non confundit, quia ista certitudinem infundit.* Per *hanc enim ipse spiritus testimonium perhibet spiritui nostro quòd filii* Dei *sumus. hæc ille. Quid fortius?* Isti *negant:* Ille *cum* Apo*stolo &* Apo*stoli testimonio (imò ipsius spiritus sancti potius) asserit certitudinem à charitate sine qua qui certum se putat, decipitur.* Charitas *autem in patien=*

tia humili recte probatur. Hæc & alia plura ex s. Patribus quæ collegi testimonia, & in proprio opere conclusi, existimo inuictißima esse ad probandum q̧ certitudo, quam habet spiritualis de sua gratia, certitudo fidei & uocatur, & uerè est.

Verùm obstabit mihi hôc in loco hic Magister, & dicet hanc certitudinem ac fidem, non diuinam esse sed humanam: nec esse posse tantam, quanta est catholicæ
fol. 244. *fidei certitudo respectu obiecti: Sic enim scripsit. Certitudo fidei catholicæ cernitur non modo ex parte subiecti, sed ex parte obiecti. Nam est assensus non solùm ita firmus in quo nulla sit formido, sed ita infallibilis, cui non poßit subesse falsum: nullus autem communi lege talem potest habere assensum se fecisse quod debuit ad assequendam gratiam, quin poßit decipi, saltē non repugnat naturæ talis assensus huiusmodi deceptio. Ergo talis assensus non potest esse fidei catholicæ; Atqui ex hinc colligitnr argumentū sextum, quod nec potest huiusmodi assensus certitudine adæquare fidem catholicam, neq; uerò mereri nomen aliud quàm fidei humanæ, hoc est, intensißimæ opinionis. Nullum igitur est medium inter fidem humanam & diuinā. Est namq; diuina fides (si de illa certißima loquamur, de qua hic disputamus) reuelatio, cui assensum præbere tenemur. Nam potest esse quædam Spiritus sancti attestatio, per indicia quædam, de qua futurus est sermo capite postremo. Citra diuinam autem reuelationem non restat nisi illa fides, quæ probabilibus testimo*

niis naturalibus conmititur, cui quidem non repugnat falsitas in obiecto. hæc ille, Quæ certè nobis negotium non paruum faciunt non quidem sui robore, sed confusione ac perplexitate. Sed operæpretium puto (etiā ingratis) meipsum cogere ad explicandum hæc. Ipse dixit hanc fidem, seu fidei certitudinem, qua quis credit inexistentem gratiam, esse fidem humanam, non diuinam: de actu enim fidei manifestè loquitur. Ego igitur quæro, cur humanam? an quia sit hominis? Non puto. Sic enim & catholica fides esset humana. An igitur quia solùm humano lumine & discursu habetur? At quō humano lumine possumus coniectare gratiā in nobis esse, quam absque reuelatione nec scire possumus utrum ipsa sit? Sicut ergo absque supernaturali lumine nō potest quisquam scire esse gratiam: ita nec an in se illa sit, absq; eo fidei lumine scire potest. Cur igitur non diuina hæc fides dicitur, qua scitur aduentus Spiritus sancti?

Adhæc, Si hæc fides habetur à motu Spiritus sancti, ut ipse iam fassus est, cur diuinæ fidei nomen non mereatur? Præterea, si hæc fides obiectum habet testimonium spiritus & reuelationem, ut clarè dicit Apostolus, & D. Bernardus declarat, & ipse Caietanus, ut uidimus, quid minus habet hæc fides ut sit diuina, quàm ipsa catholica fides? Quòd enim aliquid à Deo reueletur uni, quid minus habet respectu obiecti, se ipso, si multis reuelaretur, quo minus sit diuina fides de illo? Dicet, Imò iam dixit, hoc esse, quoniam fides ca- fol. 244.

tholica habet obiectum catholicum certum, quod omnes tenentur recipere, hæc ille. Et in tertio argumento superius, declarans amplius hoc obiectum, dixit. Obiectum proprium fidei non est nisi Deus, & illa quæ ad spem nostram pertinentia, reuelata sunt in sacra scriptura, uel inde autoritate ecclesiæ deducta & expressa: Ergo illorum dumtaxat est assensus fidei. At uerò scriptura nullibi promittit remißionem nisi in

Mar. ult. *genere, Qui crediderit & baptizatus fuerit. Et, Si cō*

Ezec. 18. *uerterit se impius, &c. In particulari autem nusquam asserit lege communi, hanc uel illam singularem personam sufficienter esse per Deum adparatam, neque obiecisse obstaculum suæ misericordiæ, Ergo nemo ualet per fidem catholicam habere talem de se assensum, quòd sit receptus in gratiam Dei, præter illos qui ex priuilegio talem de se habuere reuelationē. hæc ille. Hæc autē si uera sunt, multi Patriarchæ & Prophetæ qui plura, quæ nūc sunt fidei, & ab omnibus recipienda sunt, crediderunt, habentes reuelationem diuinam, non crediderunt ea lumine fidei: quia non erant in scripturis sanctis adhuc reuelata, & illa non tenebātur omnes credere. Similiter Apostoli nō tenebantur ex fide diuina credere quæ de Christo sciebant, quando nondum erant credita scripturis, & sic promulgata ut omnes tenerentur ea suscipere. Et Zacha*

Luc. 1. *rias non dico de sua incredulitate, sed hæsitatione aliqua & tarditate credendi, iniustè fuit reprehensus ab Angelo, & affectus pœna, cum quod ei reuelabatur,*

non

non esset in scripturis positum, sed omninò ignoratum
in terris. Quòd si hæc sunt absurdißima: falsa igitur
sunt & hæc quæ nobis obtrudit hic Magister tanquã
axiomata, quibus tamen nullus benè doctus ualeat con
sentire: quibus nec rõ, nec autoritas ulla suffragatur.

Ad hæc miror uehementer hunc Magistrum dixis
se, ut uidimus, hominem cui ex priuilegio fuerit reue=
latum se esse in gratia Dei, habere huius rei assensum
per fidem catholicam. Quod si est uerum, iuxta eiusdẽ
uiri doctrinam, cuncti ergo tenebuntur credere illum
habere gratiam Dei, cui reuelatum hoc fuerit: quoniã
(ut ipse definiuit) fides catholica est illa generalis, quã
unam uniuersam eandemq; tenẽtur habere omnes, &
per quam sunt christiani, quaq; à Deo qui carent infi=
deles habentur. Et ut uideas quàm manifestius sit con=
trarius sibijpsi, ipsemet definiuit, quòd etiam si quis ha
beret ex speciali reuelatione notitiam suæ gratiæ, non
tamen haberet catholicam fidem de hoc: neque per as=
sensum catholicæ fidei, quæ cõmunis est omnibus, illud
crederet, sed per aliam fidem peculiarem. Hæc enim
sunt ipsius uerba, non mea, & ijs è diametro aduersan
tur, quæ iam superius dixerat, uidelicet, quòd homo si 244
per specialem reuelationem haberet notitiam suæ gra
tiæ, haberet per fidem catholicam talẽ de se assensum.

Ad hæc, Si ad hæc tantum fertur (ut inquit) fidei di
uinæ assensus, quæ describit etiam obiectum eius pro=
prium, uidelicet Deum, & illa quæ ad spem nostram
pertinentia reuelata sunt in sacra scriptura, &c. quæ=

ro ab illo. Quid si quid aliud reuelatum fuerit à Deo, amico suo alicui, puta, futura alicuius principis uictoria in bello? Quid hic dicet quæso? utrũ huius rei fides erit diuina an humana? si sibi cõstare uoluerit, certè nõ aiet, diuina: ergo humana. Tum quæro iterum ab eo, Nunquid habebit hic homo certitudinem de reuelato? Non dubium. Etiam quæro, Nunquid tantam, quanta est catholicæ fidei? Si neget, cõuincetur ex uerbis propriis. Ipsemet. n. ait, Si Deus alicui peculiariter aliam alius generis ueritatem (ut futuram uictoriam) reuelaret, assensus ille non spectaret ad fidem catholicam, licet parem haberet certitudinem. Itaque per illũ habemus, quòd humana fides poterit æquare certitudine fidem diuinam; quod tamen ipse rursum, nec semel, negauit: & primo auditu absurdissimum est. Vide igitur quàm rationabiliter dixi eum perplexè, & secũ pugnantia loqui in tam multis.

Ad hæc, quæro ab illo iterum: Illa ex fide notitia, quã ipse nobis concessit, & de qua B. Paulus 8. ad Romanos. Et dominus apud Ioã. cap. 14. qua homo noscit inhabitantem spiritum in seipso, est notitia ex fide infusa an non? Si confitetur, conuincitur. A diuina ergo fide habetur gratiæ certitudo: quod ipse negat. Sin autem hoc nobis negat, habet aduersantem sibi suum Caietanum, qui super epistola Ioã. ca. 3. tranctans illa uerba. Scimus quoniam translati sumus de morte ad uitã, quoniam diligimus fratres: Sic ait. Est sermo de notitia affectiua quam efficit fides infusa, quæ per dile=

ctionem operatur. Hæc Caietanus: cum illo ergo litiget, & interim me absoluat, si placet.

Ad hæc, Sit homo, puta Ioannes, certus factus gratiæ suæ reuelatione speciali: Quæro de hoc, an sit certus huius rei certitudine fidei? Si concedit, contradicit sibiipsi: quia iam declarauit obiectum proprium fidei esse, quod est in scripturis, & omnibus communiter reuelatum: quale non est particulare, uidelicet, Ioannē esse in gratia. Si autem negat, rursum etiam contradicit sibiipsi, qui ponens regulam quòd homo non potest esse certus certitudine fidei se habere gratiam, illicò subiungit exceptionem, dicens: Præter illum cui facta fuerit specialis reuelatio. Vult ergo quòd cui facta est reuelatio, sit certus certitudine fidei, etiam eius quod non est obiectum fidei: cōtra quod ipsemet iam statuit. Quantò ergo rectius erat cogitare, quòd sicut homo speciali & prophetica reuelatione, quæ nō est immanens, potest esse certus suæ gratiæ certitudine fidei, non obstante natura huius obiecti, quod nō est fidei catholicæ obiectum, Ita etiam poßit esse certus itidem suæ gratiæ certitudine fidei per illam cōmunem reuelationem, & testimonium quod facit Spiritus sanctus in eorum cordibus qui Domino seruiūt, & sollicitè ambulant cum Deo suo. Nam si obiectum cogitatur, unū est. Si reuelatio diuina quæritur, etiā hic est. Testimoniū enim spiritus (ut declarat D. Bernardus, non nisi quædam reuelatio est. Hæc aūt erant quæ debebat sibi prius explicare hic uir, quàm sibi

sumeret magisterium non solùm docendi alios, uerùm etiam redarguendi.

Ad hæc, quæro item ab eo. Nunquid homo potest esse certus se habere fidem saltē informem? Si negat, contradicit B. *Augustino & Thomæ, imò & ipsi experientiæ. Si fatetur, iterum rogo, utrū certitudo hæc sit à fide infusa, ita ut ex fide infusa homo hoc norit? Si concedit, fides ergo diuina (nam fides infusa diuina est) respicit hoc obiectum ut proprium, uidelicet, particularem hominem habere fidem, & illam infusam: quod tamen ipse perpetuò negat, uolens hoc non esse proprium fidei diuinæ obiectum. Sin autem negauerit, uidelicet, quòd homo poßit habere certitudinē suæ fidei per infusam fidem, rursum contradicit* B. *Tho. & Cōmentatori eius Caietano, qui sic scribit ad uerbum.*

1.2.q.112 art.5. *Ex actibus fidei homo credit absq; formidine alterius partis se habere fidem, sicut etiam credit alia credita, scilicet, incarnationem* CHRISTI *&c. Et quoniam litera in responsione ad secundū, loquitur de certitudine quæ est de ratione fidei, ideò de hac certitudine intelligēda est quoad fidē infusam. hæc ille.*

Ad hæc quæro ab illo, nunquid poßit homo per ipsam Spiritus sancti infusionem de gratia sua habere tantam certitudinem, quanta est cōmunis certitudo fidei catholicæ Christianorum? Si concedit, redarguitur itidē à semetipso, qui hoc paßim negat. Sin aūt negat, habet & hic aduersum se Caiet. ipsum, qui tractans ea

1.Cor.2. *uerba Apostoli. Nos autē accepimus spiritum qui ex*

Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, in hunc modũ scripsit. Ecce effectus spiritus quẽ accepimus, nõ impetus, non furor, nõ extasis nescientiũ quid patiantur aut agant, sed ut sciamus: non dicit, ut credamus, quia Spiritus sanctus infusus Apostolis, causauit in illis notitiam certam donorum Dei in eisdem. Sicut enim Hieremias certam habebat notitiam quòd Deus misisset eũ, affirmans: In ueritate misit me Dominus, ita Apostoli certam habebant notitiã, quod fides, spes, charitas, & alia dona, gratis data eis erant à Deo: hæc ille. Vide igitur ut supra cõmunem fidem, hanc notitiam extollit, & facit certam. Neq; hic somnianda est specialis reuelatio: quoniam hunc effectum tribuit infusioni spiritus, sicut docet D. Bernardus. Et quia magna erat spiritus abundantia, icircò excedebãt etiam notitiæ certitudine cunctos. Quæ cum ita se habeant, exhibetur Soto iterum negotium (credo) non paruum, ut prius seipsum explicet, & Caietanum expugnet. Interim autem nos, alioqui catholicos, dimittat: nec adeò fœdet censura sua tam publica, sed nouerit tandẽ hanc suam opinionem de proprio fidei obiecto, esse singularem, idest, tantum suam. Ego enim nec à B. Thoma probari tantum absurdum minime dubito. Et in hoc est error, quòd non arbitratur Soto aliquid posse esse articulum fidei alicui, qui tamen non fuerit cæteris. Nam fides innititur diuinæ reuelationi, & ipse internus habitus, in quodcunq; obiectum fertur, in quo fuerit huiusmodi ratio, ipsa nimirum reuelatio.

Errat etiam ut nõ dubito, & in hoc pendet omnis eius fallacia: quia cum audit testificantem spiritum nobis, & in corde nostro de seipso, & sui admirabili prouidentia & gratiæ erga nos, existimat hoc testimoniũ pendere ab operibus nostris, intelligens esse testimonium conditionale, uidelicet, si fuerint opera bona. De ipsis uerò operibus non uult esse spiritus testimoniũ. Sed longè aliud est: nam si spiritus testimonium tale esset, certè non esset propriè filiorum Dei, cum & illud habuerit Caim, cui est dictum. Nonne si bene egeris, recipies? Et per hoc non esset sufficientissimum testimonium, quo homo rationabiliter possit credere se esse filium Dei manentem in gratia, contra quod docet Caietanus: & per hoc non faceret certitudinem ullam gratiæ, contra quod sancti Patres omnes docẽt, & ipsemet superius est confessus. Testimonium ergo spiritus, quod exhibet filiis Dei, qui ipso spiritu agi se permittunt, & secundum illum ambulant & currunt, purum est, non conditionale, quo manifestatur homini diuinus amor: imò spiritus ipse noster hoc ab ipsis operibus cõiectans, qui testificatur hoc nobis, habet secum contestificantem spiritum, & ita cõfirmantem animum nostrum, qui fortè de operibus suspicari posset an essent accepta Deo, ut omnẽ ab eo dubitationẽ excludat, sicut ait D. Chryso. & pleriq; alii. Vnde iuxta græcã ueritatẽ, non dicit Paulus, quòd spiritus testatur spiritui nostro, sed quòd contestatur cum spiritu nostro, tanquã confirmans quod noster spiritus præsumit. Verũ

Gen. 4.

de hoc in tractatu nostro latius.

Video tandem quod ipse Soto hanc ueritatem sentiens & agnoscens, quòd sancti Patres hanc certitudinem simpliciter asserebant, contra quam tamen ipse disputat, uolens eorum autoritati satisfacere, se demisit ad uiolandum significationem uocis, atque extenuandum, ut fidem ac certitudinem in opinionem nobis cõuerteret. Sed non permittemus præstigia hæc, quæ tamen persequi tædet. Nam cum D. Bernardus tã clarè diceret. Nouum aduenisse spiritum certissimè noua cõuersatio testatur, Ipse Soto hoc quod S. Abbas certissimum asserit, primò sic accipit, hoc est, non omninò certum. Et addit. Non intelligit Bernardus de certitudine fidei catholicæ, sed de certitudine quæ sufficit pacare humanum cor. Verùm nec nos certitudinem fidei catholicæ defendebamus: imò illam certitudinem uolebamus, quæ sufficeret pacare cor nostrum in cursu bonæ uitæ. Non autem pacatur cor donec formido in oppositum manet, & dubitatio non suffertur, quæ è diametro (uel ipso Soto teste) cũ certitudine pugnat. Maneant ergo uoces in sua propria significatione. Nam si sic illas uiolare licet pro uoluntate ac propria autoritate, iam tollitur prorsus omnis liberalis & ingenua disputatio, & hoc pacto transit in contentionem ac pertinaciam.

Ad hæc illud argumentum in Theologo, qui profitetur se rem uniuersam tenere, & posse docere simul hæreticos & catholicos, quis nõ admiretur? Ait enim,

Quòd si quispiam suæ iustitiæ posset certior fieri, id maxime esset, quando nihil sibi conscius esset, non tamen est firmum argumentum cum ex negatione infertur affirmatio, uidelicet, nullius sum conscius peccati, ergo sum iustus, &c. Quis hic non uideat uitiosum totum argumentum? & primò quidem in eo quod sumit tanquàm summum iustitiæ argumentum, nihil sibi conscium esse: cum ad hoc addi poßint alia lõgè clariora iustitiæ signa, utputa ingens patiẽtia, atq; extrema tolerantia propter Christũ. Item *alia egregia atque hæroica charitatis opera.* Item *testimonia, quæ affert spiritus fidei in sincera sacramentorum susceptione. Quomodo ergo certitudo iustitiæ ex hoc maxime procedat, quòd homo nihil sibi sit conscius?* Et *tamen non puto hoc non esse firmum argumentum, modo quis fuerit animo simplex, & qui uereatur omnia opera sua, scrutator & explorator diligens conscientiæ suæ iuxta regulas* S. *scripturæ: hunc enim nunquàm permit-*
2. Cor. 1. *teret falli* Deus. Vnde B. Paulus *gloriam suam ponebat in testimonio conscientiæ suæ, non reuelationis, sed conscientiæ, unde & sinceritatem & simplicitatem sui cordis profitebatur.* Denique *quod ait, infirmum esse argumentum cum ex negatione infertur affirmatio, uere infirmum est.* Nam *constante subiecto, & in materia certa, efficaciter affirmatio à negatione infertur, ut de certo homine Si non mortuus, ergo uiuus:* Non *ægrotus, ergo sanus, non peccator, ergo innocens: & huiusmodi.*

Sed hactenus

Sed hactenus dicta sufficiant, quantum pertinet ad ueritatem quæstionis, & ut consideretur quomodo magna ex parte conueniamus, & in quo incipit dissensio aliqua, de qua nihil est in Decreto *expressum.* Nunc *nonnulla eius argumēta discutiam, ut ipsemet uideat, & qui illas partes sectantur, quàm sint inefficacia.* Post *illam, quam præmisit aduersus* Lutheranos, *disputationem, in catholicos se conuertens, primò se uelle rationibus exordiri testatur, quarum primam à cōfeßione* Lutheranorum *accipit, eò quòd ipsi aiunt me diis operibus non posse eam haberi certitudinem quæ est fidei catholicæ: cum quibus & ille cōsensit hac parte, ut nos expugnet.* Et *nihilominus quū concludit, dicit nullum esse nobis excogitabile medium asserendi certitudinem gratiæ, quod non recidat in opinionem* Lutheranorum, *cuius contrarium contendebāt* Catholici *isti, aduersum quos disputamus, hæc ille.* Quis *hæc benè sanus non admiretur?* Ex *opinione* Lutheranorū *accipit medium, tanquàm uerum, quo nos expugnet: et nihilominus hinc ostendit nos conuenire cū illis in opinione, ut quod est manifestè illorum, faciat nostrum, si tamen hoc ualeat.* Videamus *ergo quid aiunt primò* Lutherani, *ut intelligat omnis hō non proteruus, quā conueniamus cum illis.* Aiunt *posse scire hominem suā gratiam certitudine fidei catholicæ.* Hoc *uerò nullus* Catholicorum *concedit.* Item *quid aiunt* Lutherani? A *sola fide uenire hanc certitudinem.* Et *hoc nullus* Catholicus *probat.* Denique *quid aiunt* Lutherani? Nihil

conferre opera ad hanc certitudinem. Nos autem & in hoc contra illos asserimus, & tu etiam, mi Soto, pulchrè disputans in eos, hoc tanquàm sit contra communem sensum & animorum conceptionem, exsibilas. In quo igitur conuenimus cum illis, cum quàm maximè in singulis articulis ad hanc quæstionem pertinētibus, inuicem dissentiamus? Illi igitur qui aduersus nos disputant, eis assentiūtur, nō nos. Et uide, lector, rursum deceptionem illorum. Ipsi putant quòd hæc certitudo, quam nos defendimus, semper colligatur argumento & nuda coniectura ab operibus, ut dicat homo: Ego nihil mihi conscius sum, Et, Video opera mea bona, Ergo sum in gratia. Et non attendunt quòd hæc certitudo, de qua modo est sermo, uenit à testimonio spiritus intus sui præsentiam insinuantis cum Patre & Filio, & hoc mereri opera bona. Vnde dixit Dominus. Si quis
Ioan. 14. diligit me (uidelicet operando per charitatem) diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo, siue, insinuabo, ei meipsum, ita ut sit meritum operum ista manifestatio, siue insinuatio, ut S. Doctores declarant. Nec est dubium quod aliqui possunt decipi in hoc, non quando spiritus ipse Dei testatur: sed quia possunt putare nonnulli hoc spiritum bonum sibi testari, cū non sit bonus, sed spiritus superbiæ, & præsumptionis: & uidētur sibi esse certi, & non sunt, mentiētes sibijpsis. Nec propterea sequitur quòd nullus possit esse certus: quia cum attestatur spiritus, & uera est charitas, & uera sunt opera, insequitur spes uiua,

quæ non confundit. Quid est dicere, Non confundit spes, nisi quòd non frustratur? Et quare non confundit? Dicat Apostolus, Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Exponat autẽ hoc nobis D. Bernardus. Quare spes D. Bernarde, non confundit? quia, inquis, charitas certitudinem infundit. Qnomodo certitudinem infundit charitas, nisi quia spiritus contestatur cum spiritu nostro quòd sumus sui, & cognoscimus eum, quia in nobis manet, ut ait Dominus? Rom. 5. Ioan. 14.

Aliud argumentũ texit à ratione B. Thomæ: quo in loco si quis capere potest quid ille tandẽ uelit, summopere admirabor. Primò ait Thomam hanc propriè disputare quæstionem. Secundò ad eam respondere tri mestri conclusione. Postremò uerò ait quòd D. Thomas ibi prætermisit hanc cõclusionem de certitudine fidei, & adiecit rationem: quia nunquàm fuerat suspicatus ut posset quis unquàm id cogitare, quòd reuelatio fidei catholicæ se extenderet ad particularẽ statũ huius uel illius hominis, Ita fecit nos socordes hic homo. Adiecit, Sed neque dubitabat de euidentia sciẽtiæ: nihil est enim euidentius quàm quòd non potest gratia Dei euidenter cognosci, &c. Ex quo etiã sequitur, quòd sicut B. Thomas prætermisit conclusionem de certitudine fidei propter euidentiam rei, ita etiam debuit prætermittere certitudinem scientiæ, cum & hoc ipso nihil sit euidentius, ut ait, & tamen subsequitur. Et ideò non quæsiuit nisi de certitudine scien

tiæ,hoc est,cognitionis in genere,utrū tam certò quis posset iudicare se esse in gratia, quanta est certitudo scientiæ. Vbi cum determinat partem negatiuam,non solùm concludit quòd nō potest esse euidentia (de hac enim non erat quæstio) sed quòd nulla potest esse certitudo,cui non posit subesse falsum, unde maiori ratione consequitur,non posse haberi certitudinem fidei catholicæ,quæ maior est certitudine scientiæ:hæc ille. Quis(obsecro) hoc loco,si uenari uelit quid iste sentiat,non insaniat? quem si dignè tractare uelim, & me magno fastidio, & lectorem tædio nimio proculdubiò afficerem. Remitto igitur rem omnē ad illum, ut pacato animo uideat utrum reuera se intelligat, & post agnitas tot perplexitates,suam istam finalem rationem bene recogitet quàm sit uera,uidelicet,ex eo q̄ B. Thomas concludit non posse esse euidentiam huius rei,neque certitudinem scientiæ, hinc maiori ratione consequi, nec haberi posse certitudinem fidei catholicæ. Quis adeò unquàm insaniuit,ut à negatione certitudinis euidentiæ ac scientiæ, inferat etiam certitudinis fidei negationem? cum eorum propriè sit fidei certitudo, quorum nec euidentia sit,nec scientia.

Mitto etiam illam hominis inconsiderationem perpetuam: quia facit maiorē certitudinem fidei ipsa sciētiæ certitudine,nō distinguēs (sicut docet B. Thomas) inter certitudinem secundum se,& certitudinem quo ad nos. Neq; considerans quòd eorum quæ uidentur,
1.Cor.11 non est fides,quia per fidem cognoscimus ex parte, &

ideò est cognitio imperfecta, & argumentum quorundam non apparentium. Hebr. 11.

Mitto tertium argumentum satis excussum suprà, & similiter quintum, & sextū. Circa quartum (quod manifestè inefficax est) unum tātum notabo, uidelicet, quòd gratiam signatam cuiuscunq;, etiam non perseueraturi, & sic non prædestinati, dicit esse effectum prædestinationis. Vtrum autem hoc manifestam implicet contradictionem, ipse uiderit. Nemo enim est, cui indicauerim, qui hoc nō cēseat & admiretur in Soto.

In septimo argumento, ubi aut leuem aut hæreticum facit contradicentem, ipse certè non leuiter peccat: Tum quia concludit contra certitudinem fidei catholicæ, quā nullus defendit, Tum uerò quia non perpendit hanc certitudinem fidei catholicæ, quo ad nos, minorem esse, quàm eorum quæ in nobis inesse, & à nobis prodire experimur.

In octauo autem argumento (quod & sæpißime iactat) puto etiam illum grauiter labi: quia uult hominem non posse ita puram & exploratā habere sui cōscientiam, ut ualeat (etiam si legitimè suum cor exploret) certam inde accipere persuasionem suæ innocentiæ, quantum attinet ad notitiam gratiæ; quod est contra uerbum Apostolorū Pauli, & Ioannis. Paulus ait. Gloria nostra hæc est tistimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis, & sinceritate Dei conuersati sumus in hoc mundo. Ex his uerbis manifestè conscientiæ testimonium prædicatur, unde præsumi satis 2. Cor. 1.

potest de gratia Dei: clara sunt uerba. Nam quæ gloria esset à testimonio, quod suspectum esse posset de ueritate? Mitto interpretationes ueterum ad illum locũ, quæ proculdubiò nobis fœliciter astipulãtur. Quid
1. Ioan. 3. dicemus ad B. Ioannem qui ait. Si non reprehenderit
ad Deum nos cor nostrum, fiduciam habemus ~~à Deo~~, et quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quia mandata eius custodimus, & ea quæ placita sunt coram eo, facimus. Quid iis uerbis potentius, ad intelligendum quòd si cor nostrum non reprehendat nos, tuti sumus? Nam hinc cõsequi B. Ioãnes ait quòd custodimus mandata Dei, & hinc quòd orantes exaudimur: quæ profectò sic asseri non poterant, nisi certa ueritas à conscientia erui posset. Verùm hac de re fusius ac longè potentius scribo in tractatu nostrarũ assertionum circa hãc quæstionẽ.

Sed obiicit nobis primum scripturã dicentem. Pra-
Hier. 17. uum est cor hominis & inscrutatibile, & quis cognoscet illud? Ego Dominus &c. Cui nos ex aduerso proponimus Apostolum. Si enim uerum est non posse cognoscere hominẽ quæ sunt interiora cordis sui, qua frõ
1. Cor. 2. te diceret Apostolus. Quis. n. nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ecce quòd simpliciter spiritus noster dicitur scire quæ sunt in corde nostro, & latent alios: & quo ad alios, cor nostrum dicitur inscrutabile, ut expositores declarant. Prauum autem est cor nostrũ secundum naturã suam, non secun-
Act. 15. dum gratiam, quando est purificatum fide & ignitum charitate.

Rursum obiicit Gregorium, & Bernardum, qui ui dentur negare posse hominem plene ac perfecte nosse cor suum. Sed multò aliud est dicere plenè ac perfectè, aliud uerò quantum sat est ad exculpendum notitiam criminis inexistentis. Hactenus enim licet nos explorare, & permittitur nobis iudicium: imò etiam mãdatur. Nam si nos metipsos iudicaremus, ait Apostolus, non utiq; iudicaremur. Quomodo autem iudicabit quis, quæ non ualeat cognoscere? Quamobrem ipsimet Gregorius & Bernardus, quando aiunt neminem posse se ad plenũ discutere propter illa Pauli uerba, Nibil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, seipsos declarant. Ait enim Bernardus Apostolum illud dixisse non propter hæsitationem inexistentium criminum, sed propter legem fomitis in eo manentem; uerba Bernardi hæc sunt. Hac ergo Paulus sciebat se una lege teneri, quam carni suæ immobiliter insitam tolerabat inuitus. De cætero, inquit, nihil mihi cõscius sum. Verùm quis similis Paulo? qui uidelicet interdum huic non consentiat ad obediendũ peccato? hæc ille. B. Gregorius, si rectè perpenditur, in lib. Mor. 5. cap. 23. refert illud dictum Pauli ad considerationem stricti iudicij Dei, quod nullus sanctorum posset sustinere, & sic coram illo nemo iustificatur. Quòd si legẽ in Christo, quæ est gratia & misericordia, consideremus, securi & intrepidi ad iudicium ueniunt, qui rectè se discutientes, nihil sibi sunt conscij. Vnde Dominus, Qui bene agit uenit ad lucem ut manifestentur opera eius.

1. Cor. 11.

1. Cor. 4.

Ioan. 3.

quia in Deo *sunt facta*. Verum *de hoc latius in tractatu nostro*.

Venio *ad scripturas, per quas ipse ait contra gratiæ possibilem, certitudinem probari*. Primum *locum*
Eccl. 9. *producit illum uulgarem*. Nescit *homo utrum amore an odio dignus sit: uolens quòd* Salomon *ibi de notitia fidei loquatur*. Et *audet dicere quòd omnes sancti semper in hoc sensu locum illum citant*. Hic *uerò ego breuiter respondebo*, Primum *multos sanctos hunc locum multò aliter intelligere*. B. *enim* Bernardus *nunquã hunc locum, nisi ad prædestinationem & reprobationem finalem, aptauit*. Vidit *enim alioqui ex ui uerborum falsam esse sententiam illam uniuersaliter*, Nescit *homo &c. quia contradictoria illius uera est*. Quod *miror huic uiro non fecisse negotium, & nescio qua tergiuersatione uitasse*. Quod *autem de prædestinatione possit intelligi locus ille, uel ipse Soto fatetur maiore probabilitate asseri*. Et *certè hunc sensum uiderunt etiam antiquiores, nec ullus reprehendere ausus est*. Videat *qui uelit* Hugonem Card. Io. Gerson *de myst*. Theologia, *item* Dionysium Carthusianum. *Est tamen* B. Hieronymi *alius sensus, qui non priorem aufert, sed addit, quòd* Salomon *negat huius diuini amoris uel odij, haberi posse notitiam ex ijs quæ hominibus accidunt, fortunia & infortunia: cum hæc communia sint bonis & malis, sicut ipsa uerba statim declarant*. Videat *hic si uult* Caietanum, *qui in sua expositione ad illum locum ab hoc sensu non deuiat*. Et Deo

gratia

gratia est, quòd in ipsa disputatione dum hæc quæstio à Theologis & in Synodo tractaretur, uix fuit unus aut alter qui non tandem ueritatis potentia confiteretur, hunc locum minime ad rem pertinere. Et hodie qui magis uidentur scrutari scripturas, in eo sensu quiescũt. Vnde & doctor Parisiensis D. Claudius Guillaudus, super epistola ad Timotheum secunda ca. ultimo, manifestè illum sensum probat quem adduximus secundum D. Hieronymum, & ipsum citat. Quinnimò iure etiam reprobat istum quem mordicus isti tenẽt, & certitudinem gratiæ nobiscum concludit à testimonio Apostoli. Videat illum Soto, si placet. Nos igitur hoc obtinere uolumus iure nostro, quòd cum locus ille alios sensus habeat qui non reprehenduntur, non potest unus statui ac determinari, nisi per alia certiora loca sacræ scripturæ probetur, ut docet B. Aug. in lib. de doct. Christ. Hoc autem quantò magis uerum erit, cum ille sensus ~~illicitur~~, & contenditur esse uerus, quẽ nec uerba ferunt, nec ratio patitur, & contra scripturas euidentes etiam euidenter militat? / elicitur

Piget tractare alia loca, quæ hic Magister affert aduersus hanc certitudinem. Primum illud ex Iob. Si uenerit ad me, non uidebo eum: Si abierit, non intelligam. Et illud, Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Et aliud, Verebar omnia opera mea, sciẽs quod non parceres delinquenti. Verè dixi, tædet me ista persequi, cũ uideatur hic magister omninò ignorare quæ sunt à nobis producta aduersus hæc. Primũ Iob.9.

ridiculum est ex eo quòd si ad nos ueniat Deus, et nos non uideamus eum; & si recedit, non intelligamus, excludere notitiam fidei, cùm (ut inducit B. Thomas) ille textus loquatur de notitia euidentiæ: Alioqui nonne homo fidelis cognoscit ex fide, quòd peccando dominus recedit à se? Quomodo ergo diceret; Si recesserit non intelligam? Nunquid Petrus negando non intellexit à se dominum recessisse? & cum rursum respexit et fecit eum flere amare, non cognouit iterum ad se uenisse, ut ausus fuerit ter rogatus de sua dilectione, ter etiam respondere & constanter confiteri illam coram Domino? Illud uerò quòd affert ex Iob, quòd uerebatur omnia opera sua, & ex eo uult extorquere incertitudinē gratiæ: mihi adeò id non probat, ut oppositum potius inde deducatur. Qui enim sentit se uereri omnia opera sua ne Deum offendat (ut par est primum credere de B. Iob) ille sentit in se gratiam Dei adesse, cum sit hoc proprium iusti, uereri cuncta opera sua, &, ut ait ibi rectè B. Gregorius. Hic timor, si perseueret, non solùm certitudinē præsentis gratiæ affert, uerum etiā perseuerantiæ: quod & uerum est. Vnde scriptum est,
Eccli. 2. Qui timent Deum præparabunt corda sua, & sanctificabunt animas suas, custodient mandata illius, & patientiam habebunt usque ad inspectionem illius. Ita me docēt scripturæ. Illud uerò, Etiā si simplex fuero &c. Si germanum ex B. Gregorio sensum probare uoluerit, quem nos produximus, cōtra se omninò stare perspiciet. Hæc enim est ibi B. Gregorij expositio ad lite=

ram. Plerunque (inquit) si scimus bona quæ agimus, ad elationē ducimur: si nescimus, minime seruamus. Quis enim de uirtutis suæ conscientia non quantuluncunque superbiat? Aut quis rursum bonū in se custodiat, quod ignorat? Sed contra utraq; quid superest, nisi ut recta quæ agimus, sciendo nesciamus? Vt hæc & recta æstimemus & minima, quatenus & ad custodiam sensificet animum scientia rectitudinis, & in timorem nō eleuet æstimatio minorationis. hæc B. Gregorius. Ecce quàm pulchrè, quàm eleganter exprimit mentē B. Iob, ut inde accipiamus quòd non ignorabat Iob simplicitatem suam, & ~~ignorātiam~~, quam alibi paßim prædicat, innocentiam sed sciens illam, coram Deo nolebat scire, hoc est, nolebat temerarius iactare, aut quasi suam obijcere illam in Deum illius autorem. Hic est proprius et egregius illius loci sensus: Qui sic acceptus, tantū abest ut id probet, ad quod probandum affertur, ut è diametro oppositum colligatur. Et ad hunc intellectum aptata sunt scholia in Biblijs in loco illo. Cur igitur ista prætermittit Soto, & in alijs uagatur quæ eneruia sunt?

Quod uerò ex Apostolo affert, Nihil mihi cōscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: quem præcipuum locū esse asserit pro sua opinione, Quæro ab illo, utrū per ea uerba intelligat quòd Paulus dubitaret de gratia sua? Si hoc asserit, contradicet B. Ambrosio, Augustino & multis S. Patribus, imò & ipsimet Apostolo, qui in omni epistola de sua non solum gratia, sed eminēti gratia contestatus est: & in ipsamet epistola, sicut

collegi in opere proprio. Vnde hanc opinionem non so lùm existimo falsam, uerùm etiam periculosam & cõ tumeliosam in tantum Apostolum. Vidit fortè hoc Soto, sed subterfugiens dixit, Quòd hæc uerba nihilominus probant quod ipsi uolunt: quia etsi Paulus certus erat suæ gratiæ, hanc certitudinem se nõ habere à propria conscientia uoluit ibi significare, dicens. Sed non in hoc iustificatus sum. Verùm hoc à Soto dicitur, non autem à Patribus, non ab ipso Apostolo: quoniam gloriam suam in testimonio conscientiæ suæ ponit, non in reuelatione. Vnde B. Ambro. ea uerba, Nihil mihi conscius sum &c. sic exponit. Apertum est quia conscientiam puram habens, de se sollicitus non erat: non dixit quia reuelationẽ habens, sed conscientiam puram, quẽ nimirum in se noscebat. D. etiam Aug. quod & registratũ est in Decreto de consecr. hunc locum tractãs sic ait, Quomodo dubitaret Paulus se peccare, qui sciebat spiritum Dei se habere, & intentione mundißima ei seruire? Quare quod adiecit, Sed non in hoc iustificatus sum, ad perfectã iustificationem ambo uidentur referre, quæ nullã penitus admittat culpam. D. Chry. ex superioribus uerbis, Nihil mihi conscius sum, accipit Apostolum testatum de se fuisse, quòd nihil peccarat. Et reuera sic est: q̃q̃ inde non esset iustificatus, uidelicet à proprio iudicio cõscientiæ, & si uerum esset, quia iudex qui uerè iustificat, Deus est: fidebat tamẽ semper in conscientia sua & in operibus bonis. Nam & quùm coronam expectat, nõ reuelatione innititur,

sed in factis & operibus,aiens.Bonum certamen cer= taui,cursum consummaui,fidē seruaui; Denique ubiq; & paßim in omni laude & prædicatione sua de se,cō scientiam & opera bona euidentißimè producit, & reuelationes reijcit. Gloriabatur quòd nō erat sibi cha ra anima sua,sed Christo:propter quē omnia detrimē tum & stercus arbitrabatur: & quòd non iam uiue= bat ipse,sed Christus in eo: & asseuerabat se paratū omni hora mori pro illo. Vnde & non in uacuum se currere, neq; in incertum pugnare prædicabat homo qui stigmata Iesu Christi gestabat in corpore suo: & adimplebat ea, quæ deerant paßionum Christi in car ne sua pro ecclesia. Sed ò me miserum qui cogor hæc adeò manifesta reuoluere.Sed non patiar ultra,ut cū ctá penitus quæ hic Magister (ut mihi uidetur) non exactè tractauit,sæpe paralogizans & offendens, ad examen adducam.

2.Thi.4. Act.20. Phil.3. 1.Cor.9. Gal.6. Collo.1.

Illud quod habetur in Psalmo. Delicta quis intelli= git?&c.si D.Hiero.& Aug. interpretatio recipitur, quæ una est, ad propositum nihil facit. Ambo enim s. Doctores referunt locum illum ad eos, qui obuol= uuntur delictis et criminibus,qui sunt in tenebris,un= de nequeant intelligere ipsa delicta. Alij multi,ut B. Bernar.in Cant.exponit de delictis uenialibus, quæ à concupiscentia inhærente proficiscuntur,per quæ non amittitur gratia,& oratione facilè dimittuntur. Vn= de & eruditi in linguis, non delicta, Sed errores & ignorantias, iuxta Hebraicam ueritatem, uerterunt.

Ex abundanti atem dico, etiam si de criminibus intelligatur locus ille, non ex hoc tamen rectè infertur ignoratio gratiæ, nisi simul probaretur, peccata quæ ignorantur, & (ut isti uolunt) sciri non possunt, nec etiam posse dimitti contritione & sacramentis, in operibus bonis ex charitate patratis.

Nolo hic ignorare lectorem quòd cum Lutherus diceret neminem esse à sacerdote interrogandum de sua contritione, eò quòd nemo potest cognoscere delicta sua, ut psalmus iste testatur. Delicta quis intelligit? Reuerendiss. Episcopus Roffensis, quẽ semper cũ ueneratione nominabo, ad illum his uerbis respondet. Ignoratio peccatorum nihil obstat, quò minus quisquã uerè conteri possit, nisi uelis cauillũ ex uocabulo quærere. Neq; enim dubito quin Maria Magdalena uerè contrita fuerat, quam si Christus interrogasset an uerè fuisset contrita, potuit respondisse, uerè se cõtritam esse de peccatis. Nec tamen est credibile quòd singula peccata, quæ prius tot suis uanitatibus admisit, integrè uenerint in eius memoriam. Sed omittamus hanc quæ singulare pœnitudinis exemplum fuerat, de communibus loquamur peccatoribus, Num aliquot ex his opinaris ad sacramentum absolutionis accedere cũ uero dolore? Num adeò stupidos arbitraris, ut non sentiant an uerè & non fictè doleant? quòd si conscientia fuerit eis iudex quòd uerè doleant, cur, te quæso, respondere non licet se uerè dolere? Quid huic rei peccatorum obsistit ignoratio, cum pro cũctis dolere possint

tam ignoratis quàm cognitis? Nam qui damni perpendit immensitatem, quam ex peccato conquisiuit, is odiet facilè peccatum, et detestabitur tam in alijs quàm in se ipso, neq; minus id quod occultum est, quàm quod est agnitum. Hæc ille, *ut agnoscant qui argumentãtur, ut concludant ab ignoratione peccatorum incertitudinem gratiæ, se hac parte cum Luthero conuenire, & habere uirum sanctum & in ecclesia gloriosum, pro ueritate respondentem, & planè confirmantem quæ superius dixi.* Itaque *hic locus dignus certè erat ut prætermitteretur à Soto.*

Mitto igitur alia quædam quæ de scripturis adiecit hic Magister: *quoniam nimis longum esset, nec operæprecium, & tamen alio tractatui seruantur.* De Patrum *autem sententijs, quas adducit, quid dicam? nõne indignum est ac miserum aliquid ex eis recitare?* Obsecro *non indignetur, sed meminerit se in nos, hoc est, in* Catholicos *etiã acerbiora iactasse, & ipse quidem immeritò, nos autem ex ueritate: quia uerè sic est.* Adducit *enim primo* Gregoriũ & Hieronymum. *Quia enim illi negant homini in hac uita securitatem, inde ipse colligit ignorantiam gratiæ, tanquàm qui sciuerit gratiam suam continuò sit securus, & nihil ei sit metuendum.* Addit & Augustinum *qui ait,* Quantalibet *iustitia præditus sit homo, timere debet ne aliquid occultum lateat.* Quis *hoc negat?* Dicet, Si *sciret se esse in gratia, non timeret ne quid lateat; sciret enim nihil latere,* Imò *ex hoc ipso nouit homo iustus non la*

tere quod occidit & perdit, cum id ne lateat metuit. Nam (ut dixi) iustorum proprium est hoc, & quantò magis iusti sunt, tantò magis hoc metuunt, & nihilominus tantò magis norunt gratiam suam: quia sicut est assiduus iste timor sanctus & pius, ita est assidua consolatio ac certificatio spiritus: quanquàm et latere possunt affectiones aliquæ in homine, quæ tamen non auferunt gratiam, & has non negligere, etiam quamuis iusti monentur. Iterũ affert August. his uerbis. Sicut sibi quisq;, nemo alter alteri notus est, & tamẽ nec sibi quisque ita notus, ut sit de sua crastina conuersatione securus. Hactenus locus iste non solùm contra nos non facit, sed aduersus illos facit, qui nolunt hominem innotescere posse sibi ipsi. Augustinus autem ait, Sicut sibi quisque notus est. Vidit Soto quod hactenus non erat iste locus aduersum nos, qui non negamus incertitudinem futuri diei, sed quòd staret pro nobis: si uidit cur tacet? Subdidit autem. Hoc ad incertitudinẽ perseuerantiæ refertur. Sequitur autem. Proinde quãuis ex fructibus suis multi cognoscantur, tamen propter humanorum animorum ignota & incerta, rectissimè Apostolus admonet, ut nõ ante tempus iudicemus.

1.Cor.11. *Ecce corda incerta. hæc Soto. Quis non miretur? Quis non uideat quòd B. Aug. loquebatur ibi expressè de incertitudine cordium alienorum? quia prohibet iudiciũ de altero: quia alter alteri non est notus, sicut quisque sibi. Vnde B. Paul. discussionis iudicium imperat homini in seipsum; aiens. Si nosmetipsos dijudicaremus nõ*

1.Cor.11.

utiq;

utique dijudicaremur.

Cætera quæ de Patribus *adducit, hui usgeneris sunt.* Producit *enim* Bernardum *trahens illum inuitũ ad certitudinem præsentis gratiæ, eò quòd certitudinẽ gloriæ, & prædestinationis omninò negat.* De *aduentu uerò Spiritus sancti, quem idem* Bernardus *ait periculosißimè ignorari, & in multis locis dicit esse certißimum, & certò deprehendi, uix ullum uerbum: nisi quòd extenuans significationem uocum, de certo incertum facit.* In *qua re (cum pace sua) eius autoritatem non suscipimus.* Volo *tamen interim ipsius* D. Bern. *uerba, ut ab hoc* Magistro *sunt citata, proferre.* Idem *argumentum, inquit, tractat* Bern. *in* Cant. Serm. 74. *ubi in seipso depingit sensus intrantis sponsi & exeuntis, tandem concludens hæc uerba.* Ex renouatione ac reformatione *interioris hominis mei percepi utcunq; speciem decoris eius,* Nota, *utcunque; hæc* Soto. Non *puto autem uoluisse illum decipere nos, cum ait,* Notas *utcunque; sed ipsum potius deceptum, uoluisse nos intelligere per illud uerbum, utcunque percepi, quod* Bernardus *uoluerit significare quòd illa perceptio nõ constituebat ei certitudinem rei perceptæ, hoc est, nesciebat certò se percipere quod sibi uidebatur percipere.* At *hic sensus manifestè falsus est, & fallax, & contra perpetuum ipsius* B. Bern. *sermonem, qui asserendo rem narrat, non dubitando.* Dicit *ergò percepi utcunque speciem decoris eius, in hunc sensum, quòd non uidit* Dominũ *suum & decorẽ eius uisione aperte* Cant. 17.

ta, sed utcunque, ita ut non relinquat incertũ an per ceperit ipsum Dominum, sed ut significet quòd in eo excessu non uidit gloriam eius perfecta uisione: & al lusit ad psalmum ubi legitur de manifesta uisione Dei nostri. A solis ortu usque ad occasum ex Sion species
Psal. 49. *decoris eius. Nescio uerò an cautè omiserit Soto pul= chram illam enarrationem D. Bern. quando experi= mento certo sentiebat in corde suo sponsi aduentum, nihil dubitans an eẽt ille, à certissimis eius effectibus, qui à Dæmone esse non possunt. Hic ergo admoneo le= ctorem, ut uideat & confiteatur mecũ, illum ea de re citra ullam dubitationem asseruisse, pudenter tamen & in insipientia sancta & apostolica.*

Quòd autem ad ea quæ attulimus in sententia no= stra pro certitudine gratiæ ex Amb. Aug. Hier. Gre= go. Chrisos. Bern. & alijs Patribus, nihil hic Magister responderit, non putabo id ab eo factum quia contem= pserit, sed quia ignorauit. Verùm quoniam digna mi hi uisa sunt, quæ nec despiciantur, nec ignorentur, post nõnulla quæ hactenus adduximus, etiã illa in calce opu sculi subnectam, si quo modo conciliationem nobis, & cõcordiã in hac quæstione, parare poßint cũ cõtendẽte.

Interim uenio ad scholasticos doctores, quos pro suis partibus adducit. Ait enim præter unum Ioannẽ Bachonẽ Carmelitam, neminem esse qui non teneat opi nionem suam. Ego uerò in primis noluissem hunc do= ctorem ab hoc homine sic traductum, tanquàm ille do ctor ullibi dixerit, quòd homo poßit esse certus de sua

gratia certitudine fidei catholicæ. Quod nunquàm di xit: neque etiam dixit quòd tanta sit certitudo in hoc, quanta est fidei catholicæ certitudo. Hoc non dixit do*ctor ille, sed bene ac uerè dixit (meo quidem iudicio) quòd esse potest certitudo quæ sequitur fidem.* Nam *posito eo certo quod sumitur in minore quauis certitudine, saltem experimenti, uidelicet quòd dolemus de peccato, quòd animũ & propositum habemus inchoare uitam nouam, quòd sumus contriti corde, sequitur conclusio de gratia certò adueniente, aut etiam inexistente, quæ ab ipsa maiore procedit, quæ est ex fide.* Et *ideò dixit eleganter quòd hæc conclusio certitudinis sequitur fidem.* Non *est enim dubium,* Si *maior sit certa, & similiter minor certa, quòd conclusio etiam quæ ex ambabus certis cõflatur, sequitur certa. Quòd si quis quærat:* Hæc *certitudo quæ est conclusionis, & sequitur ex ambabus, est'ne fidei certitudo quæ est in maiore, an potius eius generis certitudo quæ in minore est?* Respondet *Ioã.Bach. quòd est certitudo quæ sequitur fidem,* Et *nõ dicit quòd sit illamet certitudo cõclusionis quæ est maioris, sed quòd ab illa descẽdit hæc.* Non *debuit ergo torqueri doctoris dictum, & imponi lectori, qui eiusmodi ignorat. Quòd autem* Soto *ipse rationes* Bachonis *non soluat, mihi reuera non est dubium.* Non *placet etiam quòd* Alexandrũ *de* Ales *pro se adducit, cum pro nobis ille testetur.*

Verum *est autem quod ait* Soto, *ꝗ cognitione speculatiua, & certa scientia, non potest sciri aßistẽtia gra-*

tiæ:hoc priore quæstione tractat Alexander, *& con cludit.* At *de certitudine ab experimento, oppositum*
Sup. 2. Sẽ. *concludit expreßis uerbis, nempe his.* Cōcedendum *est*
q. 71. ar. 2 *quòd per scientiam experimentalem possumus scire nos habere gratiam. Quæ autem sint illa experimenta, quibus homo potest scire se habere gratiam, habemus in illo psalmo, Cum inuocarem,* Vbi *fit quæstio.* Multi *dicunt, quis ostendit nobis bona? idest, homines quærunt à fidelibus, unde certi sint quòd sint accepti* Deo *ex bonis quæ faciunt.* Et Propheta *respondendo colligit tria ex quibus colligitur experimentum, per quod sciunt quòd sunt accepti* Deo, *& quòd habent gratiam.* Primum *est. Signatum est super nos lumen uultus tui* Domine. Secundum, *Dedisti lætitiā in corde meo.* Tertium, In *pace inidipsum dormiam & requiescam. hæc sunt tria ex quibus colligitur experimẽtum, per quod anima sancta experimentaliter cognoscit se habere gratiā. s. lumen, lætitia, & pax.* Lumen *apud uim rationalem.* Pax *est apud irascibilem: lætitia apud cōcupiscibilem.* Quādo *enim ista tria sunt in anima sancta, secundum illas tres uires, uerè certum est experimentum quòd anima habeat gratiam.* Et *bene dico: uerè: quia per hoc differt anima sancta ab hæretica.* Vnde *nunquàm habet uerum lumen in rationali, nec ueram pacem in irascibili, sicut habet anima christiana perfecta, quæ habet lumen ueritatis radiantis super uim rationalem, in quo mirabiliter delectatur ratio. hæc ille, & alia ad rem propositam spectan*

tia, ex quibus facilè quorundam argumentantium cauilli soluuntur. Manifestè enim uult notitia experimē ti, quæ certitudlnem facit, hominem scire posse suam sibi inhærentem gratiam. Hæc autem certitudo experimenti proculdubiò esse non potest, nisi ab interiori fidei lumine, quo illustramur, & probamus in corde nostro uera esse ea quæ dicunt scripturæ, uidelicet, illud lumen, illam lætitiam, illam pacem, nō posse dari à mūdo, sed esse Spiritus sancti fructus habitantis in cordibus fidelium. Nec obstat quòd dicat ille in superiore quæstione experimentū esse fallax. Est enim uerè fallex experimentum, sed male probantibus, non autem ijs qui benè probauerint, ut ipsemet docet: quoniā longè alia est pax Dei, alia pax mundi, aut Diaboli: illa implet cor uero gaudio non phantastico & falso, non autem ista. Est & humana ratio fallax, non tamen cū rectè deputat. Et hæc de Alexandro.

De Scoto, relinquo illi bellū cum Scotistis, quorum plurimi sunt qui aliler de opinione Scoti tenēt, nec mirum si fortè ille non constiterit sibi ipsi. Quoniam uerò iam lassus sum, mittam redarguere plurimas huius Magistri positiones, tanquàm dignitates, inconsideratè, credo, ab eo ploratas. V. g. Sumit hoc tanquàm dignitatem. Ad ea quæ naturalia sunt, nemo obligatur. Quis primo auditu ad hoc dictum non obstupescat, cū ad omnia quæ sunt legis naturalis, ac per hoc naturalia sunt, homo obligetur? Scio quòd aliud uoluit ibi dicere quàm quod dixit. uerum illud erat significandum

uerbis, non oppositum: quanquàm nec illud quod uoluit dicere, puto esse uerum. Ipse cogitet & uidebit.

Illud omninò falsum & periculosum quod ait. Qui nimò hæretici omnes suorum errorum, quos catholicos existimant, tantam habent certitudinem, quàm nos articulorum fidei. Quanquàm enim loquatur de certitudine quæ est ex parte subiecti, attamen nec uerum est dictum, nec quouis modo probabile. Cũ enim ipsemet hanc suam certitudinem ex parte subiecti sic definiat, quòd est firmitas assensus illius rei quam quis sibi persuadet omni depulsa dubietate propter apparentem ueritatem, Paradoxum absurdißimum est tãtum dare apparenti ueritati ad firmandũ assensum, quantũ habet ipsamet uera ueritas, quæ non minus, imò multò magis appareat, uera existens. Impoßibile est enim (cæteris paribus) ut tãtũ aßẽsum faciat falsitas sub specie ueritatis, quantum ipsamet bene cognita ueritas de facie sua; hæc.n. πληροφορίαν operatur in corde, non illa.

Sunt & alia mirè perplexa. Negat enim sæpe certitudinem gratiæ, & tamen concedit fiduciã sine hæsitatione, quam conflari ex fide & operibus bonis fatetur. Quis autem fiduciam firmam habere potest dubitans de sua gratia? Circa sacramentum autem baptismi & notitiam hominis, quam potest habere de se ipso, ita sæpe hæret, ita torquetur, ut clarè uideat lector, magno negotio uerè hominem laborasse hac parte, in eo tamen uehementer peccasse, quòd hominem iam non permittunt esse hominem, sed quasi truncum

& lapidem faciunt, ita uolunt ipsum omninò suarum cogitationum, & motuum cordis esse ignarum.

Iam de Martyribus, quòd ipse uult omnes Martyres speciales habuisse reuelationes suæ inexistẽtis gratiæ, & non ex spiritu & ardore, quem sentiebant in cordibus suis, & fortitudine plena gaudij sancti & cœlestis, eam potius notitiam accepisse, credo longè eũ falli. Et quòd comparat Martyrem hæreticum Martyri uero, quãtum ad plenitudinem cordis & effectus charitatis, quos ipse putat posse naturaliter, aut alia uia prouenire posse: & falsum & periculosum ualdè existimo, utpote contra scripturas & sanctos Patres. Quo circa fraternè uirũ de hoc admoneo, quia nimiũ tribuit naturæ. nam & huius rei tractatum alij libro reseruo. Nũc aliquas Patrũ sentẽtias, ut sum policitus, subnectã pro certitudine illa gratiæ quã defendimus.

B. Ambrosius *in serm. 2. de fermento, ubi de Christo loquitur, quẽ fermentum appellat, sic ait. Quisquis illi fermento adhæserit, efficitur & ipse fermentum, tam sibi utilis, quàm idoneus uniuersis, & de sua certus salute, & de aliorum acquisitione securus. hæc ille, Vsus est autem uerbo, salutis, pro uerbo gratiæ, sicut* B. Paul. *est. n. gratia salus in spe, & à peccatis: unde* Dominus Zacheo. *Hodie salus huic domui facta est.* Luc. 19.
Nec uideatur cuiquàm durum hoc, quòd quisquis Christo adhæreat, sit etiã conscius suæ gratiæ. Multũ *quippe significat hærere* Christo, *& effici fermẽtum:* Id. n. *est perfectorum, qui* Christũ *fœliciter imitantes, unũ*

quodam modo efficiuntur cum illo: sicut illi qui habēt
Math. 1. semen iactum in corde suo, quasi in terra bona & opti
ma, quæ refert fructum in patientia; & non sicut illi
qui habent cor quasi terram petrosam, in qua semen
iactum, est temporale: quia ad tempus credunt, & in
tempore tentationis recedunt. Aut sicut illi qui in spi=
nis diuitiarum & curarum mundi uersantes, nequeūt
uim seminis intelligere in semetipsis: quia semē ipsum
à spinis obruitur, et quodāmodo suffocatur. Ecce igitur
uir iste sanctus quàm diserte ponat hominem Christi
fermento hærentem suæ certum esse salutis; Certum,
inquit, ergo absq; dubitatione cōstituit. Idem quoq; de
iustis qui bene operati sunt in hac uita, et excedūt hinc
Sup. Psal. 118. cum lætitia, sic ait. Videmus in sæculo innocentes lætos
ad iudicium festinare, odisse moras, celeritatem affecta
re iudicij. Beatus itaq; ille qui illud cæleste iudiciū læ
tus expectat. Scit enim sibi regnum cœlorum, Angelo=
rum consortium, coronam quoq; bonorum repositā es=
se meritorum. hæc ille, Quid adhuc quærimus? Scit, in
quit, non opinatur: sed scit regnum cœlorum esse sibi
repositum. Scire autem notitiam non qualemcunque,
sed certā importat: hanc aūt notitiā nos defendimus.

B. quoq; Aug. hoc nunquàm habuit dubium, sed si
cut uult quòd homo ualeat certò scire de fide sua, ita
& de charitate ac dilectione sua, unde dixit. Fidem ip
sam quisq; uidet in corde suo esse si credit, uel nō esse,
si non credit. Nec oportet restringere hoc dictum ad
fidem informem: quoniam & scripturæ sanctæ, & ue=
teres

teres Patres de fide loquentes, absolutè de fide uiua semper intelligunt. Quin & ipse Beatus Pater non minus hoc de dilectione affirmat, aiens. Qui diligit fratrem, magis nouit dilectionem qua diligit, quàm fratrem quem diligit. Nec est uerum quod ait Soto, hunc locũ omnes doctores interpretari de actu charitatis, quantum ad substantiam solummodò. Sed ut apertius hoc ipsum ex Augustino probemus, lector attende. Tractans doctor ille sanctus illud Psalmi 149. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, sic exponit. Quid est in cubilibus suis? in cordibus suis. Audi Apostolum Paulum exultantem in cubili suo. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Rursum timendum est, ne quisquàm apud se ipsum fiat sibi placens, & quasi de cõscientia sua superbus glorietur. Debet enim quisq; cum tremore exultare: quia donum Dei est unde exultat, non meritum sum. Etenim sunt multi sibi placentes, & iustos se esse arbitrantes: & procedit aduersus illos alia pagina dicens. Quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Est ergo quidam modus gloriandi in conscientia, ut noueris fidem tuam esse sinceram, ut noueris spem tuam esse certam, noueris charitatem tuam esse sine simulatione. hæc ille. Ecce quàm clarè, & quàm perspicuis uerbis posse à nobis cognosci fidem sinceram, spem certam, & charitatem non fictam, testatur. Quid hic dici aut fingi potest (si ue-

ritatem amamus) quo nobis tanta ueritas auferatur? Quòd si hoc non sit satis, audiamus & illum super Ioan. cap. 14. Ipse enim mouet sibi quæstionem, quomodo discipulis promitteretur aduentus Spiritus sancti, quasi tunc non haberent: si enim habuissent, non opus fuisset ut mitteretur. Cui quæstioni respondit dicens. Habebant & non habebant: habebant minus, dandum erat amplius quod non habebant: habebant occultè, dandus erat eis manifestè, quia & hoc ad maius donum Spiritus sancti pertinebat, ut eis innotesceret quod habebant: de quo munere loquens Apostolus, ait. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. hæc ille. Ex quibus uerbis manifestißimum redditur, pertinere hoc ad dona Spiritus sancti, ut non solùm ipsum donum infusionis habeatur, uerum etiam ut clarè certoq; cognoscatur haberi, & hoc maxime quùm abundanter infunditur. Possem ex eodem doctore & alia producere testimonia manifestißima: uerùm qui non mouebitur adductis, nec alijs mouebitur.

Beatus quoque Hieronymus super 6. cap. ad Galatas, ut rem facilè contingentem, inducit hominem conscium & certum suæ mentis, qui se paratum cognoscat per Dei gratiam cunctis resistere tentationibus, ut homo uerè spiritualis, & firmus in donis, qui uix ualeat excidere. Non fuit ergo illi dubia possibilitas notitiæ gratiæ inexistentis,

Beatus item Gregorius in lib. Mor. hoc dedit sanctißimo Iob, quòd certus esset suæ innocentiæ & gratiæ, nec ullam ullibi facit specialis reuelationis mentionem: Quis autem nisi fatuus & arrogans, non certus suæ iustitiæ potuisset dicere. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quã patior in statera: quasi arena maris hæc grauior appareret. Et iterũ, Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum. Deridetur enim iusti simplicitas. Horum uerborum sensum beatus Gregorius sic explicat. Sic itaque inopiam suam despicientes despicit, atque in sterquilinio corpore positus, in quãto uirtutum culmine apud se sedeat ostendit. Et super cap. 25. sic ait. Habent itaque proprium sancti uiri, ut bona quidem quæ agũt, uideant, & tamen cum peregerint, ab eorũ memoria oculos auertant. Vnde rectè beatus Iob dicit, Si uidi solem quùm fulgeret, ac si apertè diceret. Per opus meum cùm alijs exemplorum lucem tribuerẽ, ad præsumptionis gratiam non attendi: quia dum de eo extolli timui, ab intuendo eò oculos auerti, hæc ille, Quid his poterat dici clarius ad probandum, quòd homines sancti uident opera propria bona, unde certißimo colligere gratiam diuinã poßint, sine quã nõ illa potuisse se facere certò norunt? Et ne hic diuinet quispiam reuelationem spiritualem, dixit hoc esse proprium sanctorum uirorum, uidere opera sua bona, & tamen (ne extollantur) uelle ea obli=

Iob. 6.

*uiſci, & ad anteriora ſe extendere. Qui autem ui-
det, certus eſt.*

*Sunt & aliæ plurimæ ſancti huius Pontificis ſen
tentiæ, quas hic gratia breuitatis omittimus.*

Ioã.6.
Ioan.14. Beatus Cyrillus *lib.* 10.*ca.*3.*ſuper* Ioan. *tractans
illa uerba* Domini. *Ad eum ueniemus, & manſionem
apud eum faciemus, ſic ait. Cum non recte à diſcipu-
lo intellecta uerba ſua* Chriſtus *uideret, repetit rur-
ſus quod dixit, dilucideq; docet, non ſolùm cogni-
tione iſta communi amicis ſe ſuis manifeſtaturum,
ſed excellentiori quodam fulgoris modo:* Nam *ru-
diores ab impiorum idolorum cultu, ad cognitionem*
Dei *uocati, ſolummodo per fidem diſcunt, quòd unus*
Deus *qui nos creauit, colendus ſit. Qui uerò omni
uirtute mentem ſuam purgando, apti iam ad maio-
ra facti ſunt, ſpiritus illuminatione recepta, oculis
animi habitantem in ipſis* Deum *uidebunt. hæc ille.*

Diuus *quoque* Chryſoſtomus *ab hoc teſtimonio
ſpiritus tantam uenire certitudinem, ut nulla relin-
quatur ambiguitas, nec ſit fas dubitare, uerbis ma-
nifeſtis enuntiat, quæ ex parte ſuperius eduximus.*
Idem *quoq; ſuper illis* Apoſtoli *uerbis.* Probet *aũt ſe
ipſum homo, egregiè hanc certitudinem comprobat,
uolens* Paulum *requirere conſcientiæ puritatem, &
uitæ certitudinem, ut ſic poſſit celebrare & come-
dere ſanctum* Paſca. *Quo iure autem à nobis requi-
reret* Apoſtolus, *quod non poſſemus preſtare?*

Theophilactus *in eiſdem* Apoſtoli *locis idem
prorſus,*

prorsus, quod Chrysostomus docet. Theodoretus quoque super eisdem uerbis, Probet se ipsum homo, idem prorsus affirmat.

Beatus quoque Leo in sermone de festo Pasch. secundo, sic ait. In Euangelio Dominus dicit. In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Et in Epistola eiusdem Euangelistæ legitur. Charissimi diligamus inuicem, quoniam charitas ex Deo est, & omnis qui diligit ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Et qui non diligit, non nouit Deum: quoniam Deus charitas est. Discutiant ergo se fidelium mentes, & intimos sui cordis affectus uera examinatione dijudicent, ut si depositum aliquid in conscientijs suis de fructibus charitatis inuenerint, Deum sibi inesse non dubitent: & ut magis magisq; tanti hospitis sint capaces, fiant perseueranter in misericordiæ operibus ampliores. hæc ille. Nota uerba, Non dubitent (inquit) At qui certus esse non potest, dubitare deberet. Sola enim certitudo rationabiliter dubitationem excludit.

Plurima sunt beati Bernardi testimonia, eaq; adeo clara, ut nulla posit tergiuersatione uitari. Mitto enim quæ in sermone. 5. de dedi. ecclesiæ, Et in alio super illis uerbis. Tres sunt qui testimonium

explicitißime loquitur. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, & nescis unde ueniat, aut quò uadat. Et *si ille nesciebat, qui literam occidentem docebat mortuos magister mortuus:* Nos *scimus qui translati de morte ad uitam per uiuificantem spiritum certo & quotidiano experimento, ipso nos illuminante, probamus uota & gemitus nostros ab ipso uenire, & ad eum ire, illicq́; inuenire misericordiam in oculis* Dei. Q*uando enim sui spiritus uocem irritam faceret* Deus? *hæc ille.* Q*uibus uerbis (cum dicat certo experimento, & ipso spiritu illuminante) quid dici poterat aut expreßius, aut potentius, ut certitudinem inhabitantis gratiæ in nobis statueret?*

Denique non præteribo quòd ipse sanctiß. Abbas *ser. 69. præstans illud quod erat suis auditoribus pollicitus, uidelicet declarare (preuijs tamen orationibus) utrum in aliquam animam poßet competere, ut peculiariter dicere poßet.* Dilectus *meus mihi & ego illi: etiam iuxta illam pinguißimam ex positionem quam ipse attulerat,* Et *cum tandem toto illo sermone id affirmaßet, in hæc præclara uerba concludit, quæ ego puto eße uerißima, & tanquàm inspirata illi à* Deo: *ait ergo.* Q*uanta putas ex hac mansione inter animam &* Verbum *familiaritatis gratia oriatur? quanta de familiaritate sequatur fiducia?* Non *est (ut opinor) quòd iã talis anima dicere uereatur,* Dilectus *meus mihi, quæ ex eo*

quòd se diligere, & uehementer diligere sentit, etiam diligi nihilominus uehementer non ambigit, ac de sua singulari intentione, solicitudine, cura, opera, diligentia studioq; quo incessanter & ardenter inuigilat, quemadmodum placeat Deo; *eque hæc omnia in ipso indubitanter agnoscit, recordans promißionis eius.* In *qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis: nisi quòd redhibitionem gratiæ prudens sponsa ad suam magis cauta est trahere partem, sciens se potius præuentam à dilecto,* Inde *est quod illius opera præfert.* Dilectus *(inquiens) meus mihi & ego illi.* Ergo *ex proprijs quæ sunt penes* Deum *agnoscit, nec dubitat se amari quæ amat:* Ita *est,* Amor Dei *amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio, intentam animam facit, solicitudòque solicitam.* Nescio *enim qua uicinitate naturæ cum semel reuelata facie gloriam* Dei *speculari poterit, mox illi se conformari necesse est, atque in eandem imaginem transformari.* Igitur *qualem te paraueris* Deo, *talis oportet appareat tibi* Deus. Cum *sancto sanctus eris, & cum uiro innocente innocens erit.* Quid *ni? æquè & cum amante amans, & cum uacante uacans, & cum intento intentus, & solicitus cum solicito.* Denique *ait,* Ego *diligentes me diligo, & qui manè uigilauerint ad me, inuenient me.* Vides *quomodo non*

te gerit, si te senserit solicitum sui? Vigilas tu, uigilat & ille. Consurge in nocte in principio uigiliarum tuarum; accelera quantumuis, etiam ipsas anticipare uigilias, i nuenies eum, non præuenies. Temere in tali negocio, uel prius aliquid tribus tibi uel plus, & magis amat & ante. Si hæc anima scit, (imò quia scit) miraris quòd illa maiestatem quasi cætera non curantem, soli sibi intendere glorietur, cui soli ipsa postpositis curis omnibus tota se deuotione custodit? Sermo finem desiderat, sed unum dico spiritualibus qui in uobis sunt, mirum quidem, sed uerum, animam Deum uidentem haud secus uidere, quàm si sola uideatur à Deo. Ea ergo fiducia dicit illum intendere sibi, seque illi, nihil præter se & ipsum uidens. Bonus es Domine animæ quærenti te, occurris, amplecteris, sponsum exhibes, qui Dominus, imò qui es super omnia Deus benedictus in sæcula amen. hæc ille. Quæ si non satis sint ad certitudinem gratiæ per lumen interioris charitatis, non omninò proteruis, persuadendam, nihil profectò satis erit.

Hæc sunt de Patribus quæ placuit tandem annectere, ut uideant censores & arbitri opposita iuxta se posita, & contemplentur quibus magis lux ueritatis aßistat. Quanquàm iniuriam mihi uideor fecisse scripturis, quæ non minus clarè nostris partibus fauent, nisi uerborum proprietas uioletur. Beatus Paulus dixit, quòd Spiritus Dei contestatur

cum

cum spiritu nostro quòd filij Dei sumus. Quis autem de spiritus testimonio, ut ait Chrysostomus, debeat dubitare, et non reddi certus? Ipse idem dixit. Nos accepimus spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ donata sunt nobis; Vt sciamus inquit. Scire autem, ut declarat beatus Thomas, certam cognitionem importat. Sed occurrit hic Soto nobis, inquiens non sic intelligi locum illum à Beato Thoma. Nos autem contrà dicimus sic intelligi à diuo Augustino, sic & à multis patribus. Et quia Caiet. in autoritatem recipiunt, sic & ab ipso Caietano. Idem Apostolus dixit. Vos metipsos tentate si estis in fide, ipsi uos probate. An non cognoscitis uos metipsos, quia Christus Iesus in uobis est? nisi forte reprobi estis. Hæc profectò uerba illum B. Bernardi sensum nobis probant qui dixit, aduentum spiritus periculosißimè ignorari. Dominus noster apud Ioannem cap. 14. in hunc modum loquutus est. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. & paulò superius. Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in eternum; spiritum ueritatis quem mundus non potest accipere, quia non uidet eum; uos autem cognoscetis eum, quia apud uos manebit.

1. Cor. 2.

2. Cor. 13.

Ibid. *data eius obseruamus. & iterum. In hoc scimus*
Ibid.c.3 *quoniam in ipso sumus. & iterum, Scimus quòd translati sumus de morte ad uitam, quoniam diligimus fratres. & iterum, Filioli mei non diligamus uerbo neque lingua, sed opere & ueritate. In hoc cognoscimus quòd ex ueritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra. Quid his testimonijs clarius? cùm totiens repetat, in hoc scimus, in hoc cognoscimus: & hanc notitiam oportet esse certam à lumine fidei. Quapropter Caietanus illa uerba. sic uigilanter exponit. Apparet quòd non de notitia euidentiæ, sed de notitia fidei dicit, In hoc cognoscimus. Ex illa enim oritur quòd suadeamus intimis nostris non fictè, non blandiendo, sed in conspectu Dei, hæc ille. Et elegans scholiastes dominus Ioãnes Gagneius in signis doctor Parisiensis in eundem sensum declarat his uerbis. Si non uerbo tantum & lingua, sed corde & opere fratres diligemus, persuasissimam & confidentem, & securã reddemus conscientiam nostram coram Deo. hæc ille.*

Abundabant & alia plura etiam de scripturis ut hanc ueritatem, si oporteret, magis fulciremus, sed parco labori, quia hæc uehementer existimo satis esse superq; satis, Si quæ tamen ad perfectum tractatum desiderabuntur, Deo gratia est, q; in promptu habemus. Hæc uerò omnia, & alia quæcunque nostra, & meipsum, sub pedibus sacrosanctæ Synodi, deuotissimè subdo ac suppono.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N.

Omnes sunt Duerni, præter N
qui est Ternus.

VENETIIS APVD GABRIE=
LEM IOLITVM
DE FERRARIIS
MDXLVII.




SEMPER
EADEM
GG
F